



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XXXVIII. De medio cognitionis Angelica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



præsente phantasmate possit intellectualem speciem cuius rei, cuius phantasma adfit, producere: quare non potius ponitur intellectus simplex, qui præsente phantasmate possit rem, cuius phantasma adfit, percipere? Nam talis intellectus valens ad cognoscendum non difficile concipitur. At intellectus cæcus & impotens ad cognoscendum, nescio qui possit intelligi. Cùmque omne ens sit de se intelligibile, ut paulò ante ostendimus: non debet esse mirum, aut videri difficile, si præsente phantasmate percipiat intellectus, id cuius phantasma illi adest, &

circa quod sensus internus operatur.

In eo quod dictum est non debere potius non modò in Angelo, sed neque etiam in homine, intellectum agentem distinctum à cognoscente, sentiunt nobiscum Durandus in 1. dist. 3. part. 2. q. 5. Buridus ad 3. de anima q. 7. Scaliger exercit. 307. n. 18. & ante eos alij plures teste Alberto in summa de homine c. de intellectu agente. Et aunc communis sententia Philosophorum est non distingui in intellectu agentem à passibili, ut testatur Ovidius controuers. 5. de anima, punct. 1. n. 2.

## DISPUTATIO TRIGESIMA OCTAVA

### De medio cognitionis Angelicæ.

- Sec. I. *Vtrum Angeli egeant speciebus impressis ad intelligendum?*  
 Sec. II. *Respondetur argumentis contrarie sententiæ.*  
 Sectio III. *An Angeli speciebus indigeant, et seipsos intelligant, vel alia sibi intrinseca, aut sufficienter præsentiæ?*  
 Sectio IV. *Resutantur sententiæ contrariæ.*  
 Sectio V. *Vnde nam Angelis species intelligibiles?*  
 Sectio VI. *Quales sint species intelligibiles Angelorum, et ad quid valeant?*

Medium cognitionis duplex: cognitum & incognitum.



EDIVM cognitionis duplex est: cognitum, & incognitum. Primum est id, ex cuius cognitione in alterius cognitionem ducimur. Ut quando ex antecedente consequens, ex effectu causam, ex imagine prototypum, ex signo rem significatam cognoscimus. Secundum est, id, quod, licet incognitum, iuuat & determinat potentiam, vice obiecti, ad ipsius cognitionem, velut semen illius. Cuiusmodi sunt species impressæ intellectuales aut sensuales, quæ intellectum aut sensum determinant, & adiuuant ad formandam vitalem expressionem obiecti.

Angeli multa cognoscunt per medium cognitionis.

De priori, certum est Angelos multa cognoscere per aliud: ut Deum, ex seipsis & ex aliis creaturis: causas ex effectis: cogitationes cordium, ex locutione & aliis signis. Modus enim ille cognoscendi unum per aliud cognitum, neque omnimodam perfectionem negari debet Angelo, siquidem conuenit hominibus ipso inferioribus. Neque omnimodam imperfectionem: id enim potius magnæ perfectionis est, & Deo ipsi conuenit, qui omnia cognoscit omni modo, quo sunt cognoscibilia, per se & per aliud, immediatè & mediatè: ut ostendimus tract. 1. disp. 15.



Ad hoc cognoscendi modum dupliciter fieri posse, Primò, simpliciter sine discursu: vt quando visa Regis imagine apprehendo prototypum. Secundò, per discursum virtualem aut formalem: vt quando ex ordine & pulchritudine creaturarum colligo Deum non modò esse, sed & bonum, & prouidum, & sapientem esse. Vtrumque modum Angelis esse tribuendum constabit ex dicendis disp. 40.

De posteriore medio cognitoris, id est, de speciebus, quatuor de quibus D. Thom. q. 53. explicanda sunt. An scilicet Angelus ad intelligendum speciebus indigeat? & unde, & quales, & ad quid illas habeat? Eius autem doctrina est, Angelos non cognoscere omnia per suam essentiam sicut Deus? quia non omnia continent in sua essentia, cum hæc sit determinata ad aliquam speciem, id est, que non sufficiat se sola ad omnia intelligenda: sed intelligere per aliquas rerum similitudines superadditas, seu species intelligibiles non à rebus ipsis acceptas, cum Angeli sint planè incorporei: sed ab instanti creationis naturaliter sibi congenitas, & ab ipso Deo inditas: & tanto vniuersaliores, quanto Angeli sunt, alii aliis superiores. Quam enim Angelus superior est, tanto per pauciores species vniuersalitates intelligibilium apprehendere potest: & ideo oportet eius formas, seu species intelligibiles, esse vniuersaliores, id est, ad plura se extendentes.

SECTIO I.

Vtrum Angeli cogant speciebus impressis ad intelligendum?

Respondeo egeant, non quidem ad omnia obiecta quomodocunque intelligenda, sed ad directè propriè, & quidditatiuè cognoscendum obiecta non existentia, vel non debite applicata per seipsa, id est, non sufficienter ipsis præsentia realiter & physice.

Cognitio multiplex est: mediata & immediata: propria & confusa.

Prima pars responsi explicabitur & probabitur sect. 3. Nunc ad secundam declarationem præmitto primò, noticiam creatam Angelicam, vel humanam, esse multiplicem. Nam illa est directæ siue immediatæ: & alia mediata. Prior est, quæ fit sine medio cognito, per quod obiectum cognoscatur: vt quando Petrus in seipso videtur. Posterior verò, quæ fit per tale medium: vt quando Petrus per imaginem suam cognoscitur. Secundò, noticia vna est propria, & alia confusa. Propria sumitur dupliciter. Nempe vel prout opponitur communi: vel prout opponitur improprie seu analogice, estque idem ac cognitio germana seu quidditatiua. Similique modo confusa sumitur dupliciter. Vel pro communi, vel pro analogica & impropria. Priori scilicet noticia propria siue particularis est illa, quæ res cognoscitur secundum singularem seu propriam rationem: vt quando Petrus in individuo quæ talis cognoscitur. Confusa verò seu communi

nis est illa, quæ res in communi aliquo & confuso conceptu non tam representatur ipsa, quam later: vt quando Petrus cognoscitur sub ratione confusa hominis, vel substantiæ. Posteriori sensu noticia propria, seu germana & quidditatiua, ac per propriam speciem, est illa, quæ res secundum propriam suam speciem & rationem representatur sicuti est: vt visio albedinis, qualis est in se, vel cognitio rose perceptæ sicuti est. Confusa verò, siue impropria, analogica, & per alienam atque improprie speciem, est illa quæ res cognoscitur non sicuti est in se, sed ad instar alterius non vniuocè similis: vt cum Deum, vel Angelos, vel animas racionales cognoscimus in modum corporeorum & sensibilibus, per analogiam ad formam humanam, tenuem & lucidam: vel ad instar lucis à materia abstractæ. Aduertendum autem est germanum rei conceptum & quidditatiuum, posse esse indirectum & mediatum. Neque enim tantum Socratem cognoscit germanè, qui ipsum videt directè & immediate: sed etiam qui eum cognoscit in viua ipsius imagine. Quædam enim sunt media cognitionis, quæ ad veram & germanam noticiam obiecti sufficiunt. Vt vera Socratis imago, figure ipsius externæ æquidans, & vniuocè similis figuræ & accidentibus aliis exterius, quæ sola oculis usurpamus & germanè cognoscimus.

Tertio denique, cognitio alia est intuitiua, quæ res percipitur secundum suam realem præsentiam, & existentiam nobis obuersantem, ac per se aspectum terminantem sicut

Noticia mediata & indirecta potest esse propria & germana.

Item alia est intuitiua, alia ab illa distincta.



Notitia  
abstr. et  
pote est esse  
germana.

percipiuntur ea quae oculis corporeis attinguntur. Alia est abstractiva, quae a tali praesentia actuali abstrahit. Vbi rursus nota, cognitionem abstractivam posse esse germanam & quidditativam: qualis est cognitio rosa tempore hyemis: vel notitia Regis absentis aut mortui, in viva ipsius imagine. Quare licet omnis cognitio intuitiva sit quidditativa: non tamen vice versa, omnis quidditativa est intuitiva. Nota praeterea adnotitiam intuitivam non sufficere ut res cognita sit praesens, deque illa ut de praesenti cogitur: sed requiri ut ipsa secundum suam existentiam & realem praesentiam coram exhibita obuerietur cognoscenti, & sicut eius aspectum: ad eum innotum quo res oculis percepta sistunt aspectum ocularem. Quare licet homo aut Angelus naturaliter cogitet de Deo tanquam existente & sibi praesente: non habet propriam notitiam Dei intuitivam, quae facultatem naturalem Angelorum & hominum excedit.

Quis  
stra cogni-  
tio inci-  
pit a quid-  
ditativa  
& intuiti-  
va.

Praemitto secundo, omnem nostram notitiam naturaliter incipere a quidditativa & intuitiva. Tum quia nihil est in intellectu, quo prius non fuerit in sensu, id est, cuius intelligendi occasionem non ceperimus a notitia sensuum exteriorum: quae notitia est intuitiva seu experimentalis, & quidditativa. Tum etiam quia omnis notitia analogica fundatur in quidditativa earum rerum, per quarum species cognoscimus alias conceptu alieno & in proprio, siue per analogiam & comparationem ad illas. Debet enim v. g. esse cognita illi, qui Deum concipit ad instar lucis unde quaque diffusa & interminata.

Quomodo  
haec a no-  
bis habe-  
tur.

Docet autem experientia nos naturaliter nullius rei habere posse notitiam quidditativam & germanam, nisi vel ipsa per se nobis occurrat usque praesentia nos inuenit aliquo modo, ad sui cognitionem propriam & quidditativam, quam alioqui formare non possumus: ut quando colores, soni, & alia obiecta sensibilia occurrunt sensibus: vel per aliquod obiectum aequivalens, ut quando refractione radiorum solis, apparent varii colores in iride; aut in aqua maris apparet color caeruleus propter eius profunditatem; aut quando Regem cognoscimus per viam ipsius imaginem: vel denique si alia occurrerit per se, aut per aliquid aequivalens, & a nobis quidditativum cognitum sit. Experimur enim nos eorum recordari, quae antea percepimus, formareque germanam illorum conceptum, quem antequam ea perciperemus, non poteramus efformare. Quod signum est aliquid ex illa perceptione relictum esse, quod suppleat vicem obiecti praesentis per se, aut per aliquid aequivalens, & loco illius inuenit ad formandam eius notitiam quidditativam. Hoc autem vocamus species impressas, quas sufficienter probat hoc vno experimento fatetur Valg. disp. 200. cap. 3. de humano intellectu licet parum coherentem neget dari in

Valg.

angelico, ut videbimus num. 13 & 14.  
Hoc etiam signum est intellectum nostrum pendere a concursu obiecti: ita ut illi non sufficiat obiectum esse intelligibile de se, quasi hoc posito intellectus noster habeat vim sufficientem ad ipsum intelligendum, nec quidquam aliud requirat. Sicut intellectus diuinus est perfectissime completus & sufficiens seipso ad intelligendum quicquid est intelligibile, posito solum quod sit de se intelligibile. Ideoque non indiget vilo concursu & causalitate obiecti, neque ab illo pender. Unde etiam cognoscit omnia possibilis, & omnia futura, tum absoluta, tum conditionata, eo solo quod sunt vera & intelligibilia. Nimirum quia intellectus diuinus est se solo sufficiens ad exprimendum vitae obiectum: estque sibi ipsi species & habitus, & quicquid aliud causalitatis obiectum praestare potest: solumque postulat obiectum esse intelligibile de se. At vero non intellectus eger occursum physico obiecti ipsius, aut alterius illi aequivalentis, vel alio vicem eius suppleat, sine cuius concursu & auxilio non est sufficiens ad intelligendum obiectum, quamvis alioqui de se intelligibile. Debetque ipsummet concurrere velut prototypum, ad formandam viam sui imaginem & expressionem (cuiusmodi est omnis germana & quidditativa eius cognitio) vel per se ipsum, qui modus concurrere melior & efficacior est: vel per aliquod medium cognitum aut incognitum, aliquo modo aequivalens, & supplet vicem occursum ipsiusmet obiecti. Quare merito S. Augustinus, lib. 9. de Trinit. cap. vlt. de cognitione nostra sic ait: *Liquidum pendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente, & cognito. Itaque mens cum seipsam cognoscit, sola parens est notitia suae; & cognitum enim & cognitor ipsa est.*

Confirmatur, quia in omnibus aliis rebus, quando videmus vnam fieri non posse, nisi alia existente & physice praesente, colligimus hanc habere aliquam dependentiam ab illa, sicut a causa physice concurrente aliquo modo ad sui productionem. Atqui experimur non posse nos primo formare conceptum obiecti quidditativum, nisi vel ipsummet physice existat & sufficienter praesens sit, aut aliud obiectum aequivalens quodammodo. Ergo prima notitia quidditativa, quam de rebus formamus, pendet ab obiectis ut a causis physice concurrentibus aliquo modo ad sui productionem. Ex quo sequitur non posse quoque nos postea obiectis absentibus, aut non amplius existentibus, formare per recordationem eorundem notitiam abstractivam quidditativam, sine concursu alicuius speciei, seu medii incogniti, suppletis vicem obiecti. Qualis autem sit haec

Intellectus  
noster pendet  
a concursu  
obiecti.

Augustinus

Confirmatur

haec



hæc causalitas obiecti, vel speciei, dicemus num. 37.

9. Intellectus Angelici per se concurrunt ad obiectum.

Hinc tertio colligimus intellectum Angelicum pendere quoque à concursu obiecti ac nisi ipsum per se obdurat, seipsumque cognoscendum exhibeat, & sistat, vel per aliud obiectum æquivalens, non posse Angelum formare quidditativam ipsius cognitionem. Quia non est de se sufficiens ad intelligendum obiectum, solo quod est intelligibile de se; ita ut sola substantia intellectus Angelici sit ipsi speciei obiectorum, aut æqualeat aggregato ex intellectu nostro, & ex concursu obiecti proprii, vel æquivalentis, aut eius speciei impressæ. Ratio est, quia intellectus Angelicus paulò magis distat à nostro, ut colligitur ex Psal. 8. v. 6. Atqui non paulò magis distaret si esset tantæ perfectionis. Nam intellectus noster nullius planè obiecti est speciei impressæ, vel sufficiens ad ipsum quidditativè cognoscendum sine specie, aut sine ipsius vel æquivalentis concursu. Si autem Angelus esset seipso speciei, vel unius obiecti naturaliter à se cognoscibilis; esset & omnium naturaliter cognoscibilem. Quia sua ipsius substantia præter est vis intellectiva, esset illi speciei. Atqui est vis intellectiva ad omnia obiecta naturaliter ab ipso cognoscibilia. Ergo esset etiam speciei ad illa omnia. Quare Angelus esset sufficiens seipso ad intelligenda diuina omnia possibilis ordinis naturalis, & omnia præterita, præsentia, & futura: æquè ac nos sumus ad cognoscenda obiecta nobis proportionata, quando nobis obverlantur, aut quando illorum speciem retinemus ex cognitione præterita. Sic autem Angelus immensè distaret ab hominibus in virtute intelligendi, propeque accederent ad divinam. Neque esset ratio naturalis, cur non cognoscerent futura libera antequam sint, & futura conditionata: quam tamen notitiam esse naturaliter illis impossibilem ostendimus dissequenti.

10. Angeli egent aliquando speciebus.

Vnde manet probatum quod intendimus: Angelos scilicet egere speciebus impressis ad cognoscendum directè, propriè, & quidditativè obiecta non existentia, vel non debite applicata per seipsum; id est, non sufficienter ipsis præsentia. Quod amplius confirmatur & declaratur simili discursu, qui id antea de humano intellectu probavimus: quia videlicet intellectus Angelicus non est tantæ perfectionis, ac diuinus, cui ad intelligendum completissimo ex seipso, & infinitissimo, sufficit ex parte obiecti mera intelligibilitas: adeò ut obiectum nullum genus causalitatis exerceat circa Dei cognitionem. Vnde Deus ad intelligendum non aliud postulat, quam non repugnantiam obiecti ut intelligatur: nihilque positivum & realiter existens requirit ex parte ipsius: perindeque intelligit possibilis, ac existentia; & futura, æquè ac præsentia; eo solo quod talia sunt. At

Differentia inter Deum & Angelos in modo cognoscendi, sine concursu obiecti.

Angelus requirit vel obiectum ipsum existens, vel aliud à quo vice illius determinetur ad intelligendum. Ac quemadmodum ea est differentia inter agentia creata & Deum: quod illa nihil possunt producere sine concursu reali subiecti, cum creare non possint. Contrà verò, Deo sufficit mera non repugnantia ut produci possint; cum Deus habeat in se potentiam sufficientem producendi se solo quidlibet non repugnans, omni modo non repugnante, possitque sua vi supplere defectum materiæ. Sic Angelus & alia intelligentia creata nihil possunt intelligere sine reali concursu obiecti, per se aut per speciem sui, vel per aliquod aliud medium cognitum aut incognitum. Contrà verò, Deo sufficit obiectum esse intelligibile, quia in seipso habet quicquid ad illud intelligendum necessarium est. Sicut denique producibilitas rerum, siue capacitas ut producantur, respectu quidem agentium creatorum, non est sine vera & reali potentia, nimirum ratione materiæ alicuius, ex qua necessariò educi debeant, cum creari non possint à creatis agentibus: at respectu Dei est mera non repugnantia. Ita se habet intelligibilitas rerum respectu Dei, & Angelorum, cæterarumque mentium creaturarum.

Quare sicut sensus aut intellectus noster pendet ab obiecto; & ut patet experientia nullius obiecti quantumcunque sensibilis notitiam directam & germanam formare potest, nisi vel ipsum per se occurrat aut per æquivalens, vel alias occurrerit & nobis perceptum fuerit: vnde colligimus intellectum nostrum, atque etiam sensum internum vel externum, non esse de se sufficientem ad formandam obiectorum expressionem propriam, nisi vel ab ipsis inuenitur per se præsentibus & concurrentibus; vel per aliquid vicè eorum supplens, cuiusmodi est illud quod remanet ex priori cognitione ad recordationem adiuvans: nisi enim quidpiam remaneret in sensu interno, vel in intellectu, non magis posset nunc rem ad vitam exprimere, quam ante primam ipsius cognitionem: Sicut, inquam, sensus & intellectus noster non est in actu primo sufficienti & completo ad formandam notitiam directam & germanam, nisi accedat vel ipsummet obiectum, vel aliud vice obiecti, quando ipsum abest, aut non existit: sic ut Angelus directè & germanè res intelligat, necesse est ut ab obiectis, aut eorum vicariis speciebus inuenitur, vel ab aliquo æquivalenti. Quia cum paulò magis distat à nostro intellectu, non adeò illi supereminet, neque tam propè ad diuinum accedit, ut per seipsum tantum habeat, quantum habet compositum ex intellectu nostro, & ex obiectis vel speciebus determinatibus. Alioquin si se solo haberet respectu omnium naturaliter à se intentivum, nulla autem est ratio, cur ad aliqua potius id haberet, quam ad omnia naturaliter à se cognoscibilia: totum id quod noster intellectus habet ex conjunctione cum obiecto non

Sensus & intellectus noster pendet ab obiecto in actu primo.

Nnn



urrente, aut cum eius vicario: tam cognosceret Angelus per se, non expectato concursu obiecti, aut speciei æquivalentis, presentia, præterita, & futura; quam nos ea cognoscimus, quæ per se nobis occurrunt, aut quorum speciem aliquando accipimus. Quare ut nos hæc omnia cognoscimus nullo alio requisito: sic non esset cur Angelus non cognosceret omnia naturaliter à se intelligibilia, etiam futura contingentia, antequam sint, certò & evidenter: perinde ac res ea cognoscimus, quando ipsa sunt, & nobis coram obversantur. Quod tamen à Veritate & fide Catholica alienum est, vult ostendit disp. sequenti sect. 2. Superest ergo ut in absentia obiectorum non possint Angeli directe germanè illa cognoscere sine aliquo adiumento vice obiecti, quod communiter species est.

12.  
Suarez.

Idem simili ferè discursu confirmat Suarez lib. 2. cap. 3. Sed non bene addit num. 13. quòd si intellectus Angeli per se sufficeret ad omnia intelligenda, deberet eminenter continere omnia intelligibilia. Id enim non magis necessarium est, quàm ut species ipsæ contineant eminenter obiecta, quorum vice funguntur. Neque enim interest, quod respondet Suarez species esse instrumenta obiectorum: intellectus vero non esse instrumentum. Nam cum species sint totale principium determinationis, debent habere quicquid virtutis necessarium est ad determinationem, & eundem in quouis alio sufficit. Quare sicut species sunt causa totalis determinationis sine continentia eminenti obiecti: sic intellectus posset habere virtutem similem, & tantum præstare, ac species, licet non continerent eminenter obiectum.

D Thom.  
Ricard.  
Securus.  
Alemis.  
Argentin.

In hanc conclusionem præter Suarez citatum consentiunt D. Thomas quæst. 55. art. 1. & Interpretes ibidem communiter, Bonavent. Sotus, Hervæus, Capreol. Martil. Maior, Aureol. & Argentin. in 2. dist. 3. Alensis parton. quæst. 22. num. 2. & 3.

### SECTIO I.

Respondetur argumentis contraria sententiæ.

13.

Alti fiodor.  
Durand.  
Gabriel.  
Occam.  
Vasa.

Contrarium verò sentit Alti fiodor. in summa lib. 2. tract. 5. quæst. 5. Durand. in 2. dist. 3. quæst. 6. num. 17. & sequentibus, Gabriel ibidem quæst. 2. art. 2. conclus. 2. Occam in 2. quæst. 16. & Vasq. disp. 200. cap. 3. asserentes Angelum nullis egerè speciebus ad intelligendum quocunque obiectum naturaliter proportionatum. Quæ sine speciebus facile intelligi potest in intellectu Angeli integra & universalis virtus effectiva sui actus, saltem respectu actuum naturalium, & circa obiecta sibi proportionata. Nulla enim ra-

tione ostendi potest nudam Angeli facultatem intellectivam ad id muneris non sufficere. Frustra ergo multiplicatur entia sine necessitate, præsertim cum species superaddidit operabiles parantur difficultates. Neque obest, quòd obiectum ad cognitionem elicendam necessarium sit. Quia potest necessarium esse, non ut concavata, sed ut determinans causam universalem, per modum termini seu materia intelligibilis circa quam operetur. Sicut voluntas ad hunc vel illud actum efficiendum determinatur ab obiecto, non ut coefficiente (sepius enim non est, & aliquando ne quidem esse potest) sed ut à terminante talem actum. Addi potest secundò quòd illæ species vel necessariò determinant, vel liberè: Si necessariò: ergo Angeli cognoscunt semper ea omnia quorum species habent. Si liberè: ergo prius cognoscunt, quàm species determinent. Addit tertio Vaquez, Si Angelus per species intelligeret: vel illas à rebus, vel à Deo recineret. Non à rebus: quia sepius sunt materiales, & non possunt Angelis imprimere species materiales, aut immateriales. Non etiam à Deo solo: quia sic essent supernaturales.

Ad primum Respondeo constare ex supra dictis, intellectum Angelicum non tantæ perfectionis esse, ac divinum, cui sufficiat ratio termini intelligibilis circa causalitatem. Angelus enim non intelligit obiecta eo solo quòd sunt intelligibilia: alioquin intelligeret futura contingentia, & possibilis naturalia: sed eget aliquo adiumento: & res liberè futuras v. g. non cognoscit antequam sint: licet eas cognoscat quando sunt actu ipsi præsentis & existentes. Cuius rei ratio nulla potest reddi, nisi quia Angelus in cognoscendo pendet ab existentia, vel presentia obiecti, aut alterius supplementis vicem illius. Adeoque obiectum respectu Angeli, non se habet purè ut materia circa quam, & terminus intelligibilis. Nam futura ut talia, sunt de se materia intelligibilis, & terminus intellectus de se potest circa illa versari. Nulla etiam potest reddi ratio, cur Angelus obiectum quidem quando existit & præsens est, intelligit quidditative & proprie, atque idem postea recognoscit per recordationem cum antea quidditativam eius cognitionem non haberet, neque se solo habere posset: nisi quia ad primam eius intuitionem iuvatur ab obiecto existente & præsentis; non ut terminante dumtaxat (ratio enim termini æquè convenit obiectis, non presentibus, aut purè possibilibus, aut futuris, quæ tamen Angeli non cognoscunt) sed ut excitante & determinante realiter: ad recordationem verò iuvatur à specie post primam intuitionem relicta. Quo vno argumento idem Vasq. initio capituli citati convinci ait dari species in imaginatione & intellectu humano. Quia, inquit, non est

14.  
Cognoscit  
Angelus  
realiter



Alia ratio, cur ea quae nunquam vidimus, memorari non possumus: eorum autem quae vidimus, recordamur: nisi quia haec in nobis aliquando sibi imaginem impressam, illa vero nullam requerunt.

15. Non sufficit ad recordationem, antea percipisse obiectum. Male autem respondent aliqui sufficere ad recordationem, quod intellectus antea percipit obiectum, licet nulla species sit relicta. Si enim est ita: cur non in perpetuum recordari possumus eorum quae semel intelleximus? Semper enim verum est, quod antea perciperimus. Manet ergo quidam necessarium est & sufficiens ut recordemur. Dicet fortasse debere non nimis diu antea percipisse. Verum impertinens est, quod diu magis aut minus antea perciperimus, si ex eo nihil reale est in praesens quod iuuet intellectum, sed tantum antea fuerit perceptio eiusdem obiecti. Neque in approximatione patientis ad agens, vel in aliis conditionibus aut principis ad agendum requisitis realiter & physice, quicquam simile reperitur. Alia vero est ratio intellectus Angelici & humanae: & alia voluntatis: quia voluntas perinde mouetur ab obiecto possibili vel impossibili, praesente, vel absente, aut non existente, atque fortiter apprehenso. At Angelus non potest habere perfectionem notitiae intuitivae circa obiectum nisi existat, & illi sufficienter sit praesens. Quod signum est intellectum Angelici penetrare ad aliquo exercitio physico obiecti.

16. Ad secundum Respondeo species necessario determinare, non liberè, quippe quae careant agendi libertate. Angeli tamen non propterea cognoscunt semper omnia quorum species habent. Tum quia non possunt simul ea omnia cognoscere distinctè. Tum quia liberè veniunt speciesibus, quarum omnium consilium & generalem quandam cognitionem semper habent, per quam ad speciales earum usus & attentiones sese liberè applicant. Semper inquam moraliter: id est, frequenter & ordinariè, ut explicabitur disp. 40. lect. 1. num. 11.

Postremum argumentum Vasqui tangit difficultatem sect. 4. explicandam de origine specierum intelligibilium in intellectu Angelico existentium. Alia vero quadam quae nobis opponit Durandus quaest. citata, leuiores sunt, & satis aperte falsum supponunt. Ita ut non egeat longiori relatione.

17. Instari tamen potest pro eadem opinione, quia licet Deus requirat obiecta contingenter ut ea cognoscat, puta futuros actus liberos creaturarum: & ignis v. g. requirat subiectum, in quod agit, esse propinquum: non propterea completur ab illis actus diuinae intelligentiae, aut virtus ignis ad agendum. Ergo ex eo quod Angelus ad cognoscendum intuitivè requirat existentiam obiecti, non bene inferimus obiectum concurrere quodammodo ad intellectionem, & complere potentiam intellectus Angelici.

Respondeo quod ad Deum attinet, habere ipsum per se vim completissimam intelligendi

quidlibet; & non requirere ex parte obiecti ut existat, sicut requirit Angelus intuitivè: sed tantum ut sit intelligibile. Unde aequè cognoscit res antequam sint: & vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Sibi quippe ipsi fitit omnia intelligibilia: quae tamen quando non sunt, non possunt exercere physicam causalitatem: & nihilominus aequè videntur à Deo quando non sunt.

Ad secundum dico subiectum esse partem causae, quia concurret materialiter &eductivè ad calefactionem. Calere pertinet ad complementum causae integræ, & sine illo ignis non est complete potens ad calefaciendum. Similiter autem Angelus non potest habere notitiam intuitivam sine obiecto existente, & physice praesente, ut satis propinquum. Ergo complet principium totale intelligendi, & concurret aliquo modo physice, id est, per exercitium physicum, quippe quod exerceri nequit sine reali & physica existentia. Non concurret autem per modum causae materialis, &eductivè: quia non recipit notitiam intuitivam. Ergo alio genere causae, nimirum agentis aliquo modo, siue excitantis ad sui cognitionem suo concursu.

Deus non eget concursu obiecti.

18.

SECTIO III.

An Angeli species impressis egeant, ut seipsos intelligant, vel alia sibi impressa, aut sufficienter praesentia?

19. Dico primò Angelum non egere species impressis, ut seipsum intelligat. Ita D. Thom. quaest. 56. art. 1. Molina & alij interpretes ibidem: Scot. in 2. dist. 3. quaest. 8. & 10. Suarez lib. 2. cap. 4. num. 7. Et à fortiori Vasq. disp. 200. num. 8. aliique qui cum ipso negant species esse necessarias Angelis ad vlla obiecta naturaliter cognoscibilia.

D. Thom. Scotus, Molina, Suarez, Vasq.

20.

Ratio praecipua conclusionis est, quia species impressa nullo prorsus argumento ostenditur esse necessaria, nisi ubi obiectum non potest per se immediate concurrere ad sui cognitionem. At Angeli substantia potest per se immediate concurrere ad sui cognitionem, aequè ac species impressa. Est enim aequè spiritus, & aequè praesens & vnita (vel potius identificata) intellectui Angeli, atque esset species inherens. Inherentia vero, ad determinandum & mouendum obiectivè, necessaria non est, neque informatio, aut subordinatio respectu potentiae intellectivae. Alioquin Deus per se mouere & determinare non posset intellectum Beati ad sui visionem, sine specie impressa, vel idem inus non naturale foret visioni beatificae. Adde ad visionem intuitivam Angelorum necessarium esse, ut obiectum ipsum per se immediate moueatur.

Angelus non eget specie ut seipsum intelligat.

Vid. infra num. 3. & sequent.

Nnn



occurrat, vt ostendimus inferius: siue alioqui detur species intuitionem adiuvans siue non. Et tamen plurima obiecta quæ videntur ab Angelis sunt illis extrinseca minimeque inhærentia, vel subordinata. Ergo subordinatio vel inhærentia non est necessaria ad motum & determinandum intellectum Angelicum. Adde præterea quod Angeli cognoscunt suas species impressas per se immèdiate: atioquin abirent in infinitum, si has cognoscerent per alias, & istas rursum per alias, & sic deinceps. Par autem est ratio, vt Angelus cognoscat suam substantiam per se immèdiate: quippe quæ est æque spiritalis & intelligibilis, & esse præsens realiter, seu potius identificata intellectui angelico.

21. Deobus autem modis potest Angelus seipsum intelligere. Intuitiue scilicet, & abstractiue aliquatenus. Et ad utrumque sua ipsius substantia sufficit, per seipsam concurrente obiectiue ad sui cognitionem. Notitia intuitiua, per analogiam ad visionem ocularem sic dicta, illa est, quæ res cognoscitur directe vt præsens & existens: ita vt secundum præsentiam suam realem & actualem terminet cognitionem, & vt talis notitiæ certitudo euidenter rem esse. Adde vt talis cognitio vel sit euidenter assertiua rei vt existentis: vel determinet sufficienter ad talem assertionem. Notitia verò abstractiua dicitur quæuis alia.

22. Tam verò Angelum posse seipsum intuitiue cognoscere vt præsentem & existentem, per suam ipsius substantiam sufficienter ad se determinantem, satis patet ex rationibus allatis in probatione conclusionis. Quod verò etiam abstractiue probatur: quia licet Angelus semper existat: atque etiam quotiescunque intelligit, cognoscat saltem per reflexionem virtutalem se existere, quatenus cognoscit experimentaliter se intelligere. Potest tamen seipsum cognoscere abstractiue aliquatenus, per conceptus saltem vniuersales & abstrahentes ab existentia, & communes rebus non existentibus: cuiusmodi sunt conceptus entis, substantiæ, spiritus, & similes, in quibus ipse includitur: & quorum obiectum directum non est Angelus vt existens, sed aliquid abstractius & vniuersalius. Huiusmodi enim abstractiones, quas dari posse in nobis experimur, non repugnant Angelis, imò liberæ sunt. Et quæ sunt propria ipsorum substantia, præsens realiter & existens, per se valent ad intuitionem, atque ad illam sufficiunt: potest tamen, si sola, sed cum aliis eiusdem nature intuitiue cognitis, inferri & sufficere ad formando huiusmodi conceptus específicos, aut genericos: sicut nos vix pluribus individuis similibus, possumus formare conceptum vniuersalem communem illis, & omnibus aliis possibilibus eiusdem nature, abstrahentem ab existentia, & ab individuatione.

23. Confirmatur: quia si substantia Angeli, præsens licet & existens, potest esse terminus cognitioni abstractiue & inadequatæ: quidni

etiam principium motuum & determinationis? Et quidem Suar. lib. 2. c. 4. n. 17. & ibi. sequentiam admittit, posito antecedente: sed antecedens falsum putat, posse scilicet Angelum quidditatiue cognoscere seipsum notitiâ abstractiua. Primum, quia hoc ipso quod Angelus cognoscit aliquid in particulari quidditatiue cognoscit sicuti est. Ergo vt existens, si existit. Secundò, quia idem omnino est principium in Angelo: notitiæ intuitiue dum res existit, & abstractiue quidditatiue cum non existit. Differunt enim tantum ex parte obiecti existentis, vel non existentis. Adde vt si obiectum existat, eius notitiâ quidditatiua, sit necessariò intuitiua. Angelus autem existit, quando se cognoscit: ergo, &c.

24. Sed ad primum Respondet primò, nihil probare contra conceptum communem & vniuersalem, formatum ab Angelo de seipso, licet existente, deque aliis possibilibus eiusdem nature, exprimendo solum directè quidditatem & essentiam talis nature angelicæ, abstractam ab existentia & à singularitate. Secundo, dico angelicam notitiâ alicuius rei, etiam in particulari posse esse quidditatiuam, quamuis non sit intuitiua eiusdem rei existentis, quia solum exprimit singularem illius quidditatem, simili modo quo si non existeret & merè possibilis esset. Neque enim omnis notitiâ quidditatiua est adæquata: imò ne omnis quidem intuitiua versatur, circa obiectum cui est adæquate, siue omni modo & ratione quæ est Nullus enim Beatorum Angelorum vel hominum, Deum videt adæquate: tametsi Deum in singulari præsentem contemplantur quidditatiue, atque etiam intuitiue visione beatifica. Et nos actus nostros internos in particulari experimur & cognoscimus intuitiue: sed confusè, non experiendo neque materiales vel immateriales, substantiales aut accidentales: licet hæc actiones ab illis indistinctæ & essentialiter sint. Et visio corporea a beatitudine, aut lucis, non est visio dependentiæ à Deo, vel inhærentiæ, vel aliarum relationum transcendentium, indistinctarum à luce aut albedine visa.

25. Ad secundum, dico maiorem non esse veram. Quod enim sufficit Angelo ad notitiâ abstractiuam rei quando non existit, non illi sufficit ad notitiâ intuitiuam rei quado existit. Neque hæc notitiæ in eodem differunt tantum ex parte obiecti: sed etiam ex parte principii necessarii ad intuitionem rei quado existit, atque etiam essentialiter ratione diuersæ perfectionis intrinsecæ. Nam vt inferius ostendimus, Angeli non eliciunt, neque possunt elicere naturaliter tam perfectam cognitionem ante obiecti existentiam & presentiam: ac possunt ipso iam existente & sufficienter presente. Neque sicut Deus, antequam res existat, habent ipsi quicquid est perfecti operis intrinsecæ in earum visione, aut æque illas intuentur, ac quando existit: ita vt postquam existentia nihil eorum cognitioni accedat, nisi extrinseca denominatione à coexistentia & presentia obiecti. Alioqui sciret certissime clarissimeque res futuræ contingentes, quas antea norunt quiddi-

Angelus potest se cognoscere sine specie etiam abstractiue.

Solutio ad argumenta contraria.

25.

Vide infra.



tatiue abstractiue per species congenitas: quod est falsum, & contra ipsum Suar. & D. Thom. ac communem sententiam. Cum ergo Angelos obiecto posito & sufficienter applicato fiat potens ad perfectionem notitiæ intuitiue, ad quam antea erat impotens: neque id possit referri ad puram obiecti intelligibilitatem, ita ut obiectum se tantum habeat ut materia seu terminus intelligibilis, quemadmodum supra ostendimus. num. 14. Necessarium est ut aliquod adiumentum ipsi accesserit ad complendum principium, & constituendum sufficiens ad tantam perfectionem. Necessarium enim est accedere aliquid principio, quod ex non potente fit potens. Aliqui ante obiecti existentiam non erat potens ad inquisitionem, & ea posita fit potens; ergo, &c. Adde quod ex consensu aduersariorum, & nominatim Suaris lib. 2. cap. 3. num. 25. Quando species impressa concurrit cum intellectu ad notitiam abstractiue obiecti, supplet vicem obiecti. Non supplet autem vim terminatiuam: quia species impressa non terminat obiectiue notitiam, ad quam concurrit ut medium incognitum. Ergo supplet quod aliud officium obiecti circa intellectum, quod cum iuuat: nempe officium mouendi & excitandi sui, & quidem physice, quando quidem excitatio huiusmodi non fit sine physica ipsius existentia.

26. Angelus non eget specie ut intelligat quæ sunt ipsi intrinseca

Dico secundo Angelum non eger species ut intelligat accidentia, & alia naturalia sibi intrinseca, vel inherencia. Ita docent Henric. Ricard & alii quos citat & sequitur Suar. lib. 2. cap. 4. num. 20. & sequentibus. Ibidemque hanc sententiam communiorem esse affirmat. Ratio eius est: quia hæc omnia sunt per se intelligibilia, & per se præsentia intellectui Angeli, æquæ ac ipsius substantia. Ergo possunt, similiter vtilia, per seipsa concurrere, mouendo & determinando intellectum Angelicum ad sui cognitionem. Confirmatur, quia impossibile est Angelos cognoscere omnia sua accidentia per species. Ergo debent cognoscere aliquod per se immediatè. Et patet est ratio, ut possint alia. Antecedens probatur: quia, ut supra diximus, species ipsæ intelligibiles naturales cognoscuntur omnes ab Angelis naturaliter: quippe quæ sunt intra limites obiecti naturalis Angelici. At non cognoscuntur per alias species intelligibiles, ne abeat in infinitum: ergo per se immediatè. Atque alia Angelorum accidentia sunt æquæ spiritalia & intelligibilia per se, & præsentia Angelis: ergo æquæ intelliguntur sine specie. Neque in hoc discrimen vllum ponendum est inter accidentia inherencia intellectui, & inherencia voluntati, ut insinuat Suar. num. 21. Tum quia intellectus & voluntas non distinguuntur realiter: ideoque quæ vni inherens, realiter & identicè inherens vtrique. Tum etiam quia inherens non est necessaria ad mouendum. Alioqui substantia Angeli non moueret

per se, quippe quæ non inheret: neque Deus per seipsum excitaret, hoc species, intellectum Beati ad sui visionem: quippe qui non inheret intellectui Beati. Et ratio allata æquæ concludit accidentia omnia intrinseca Angelis, necessaria, non necessaria intellectiua, volutiua, & alia, æquæ per se mouere posse, cum, sint æquæ spiritalia, & sufficienter per se præsentia & applicata potentie intelligenti. Similiter rationes, quibus ante ostendimus substantiam Angeli sufficere per se, ut intuitiue & abstractiue cognosci possit: æquæ concludunt de accidentibus, & omnibus naturalibus ipsi inexistentibus.

27. Neque etiam ad extrinseca sufficienter præsentia quam naturalia.

Dico tertio Angelum non eger species, ut cognoscat obiecta extrinseca debite applicata, & sufficienter præsentia per seipsa. Ita Becan. cap. 1. de Angelis quæst. 8. Molina quæst. 56. art. 2. quoad obiecta spiritalia indistantia: & latius, etiam quoad omnia corporea Less. lib. 2. de summo bono num. 49. Aegid. Conink tom. 1. de sacram. quæst. 76. art. 7. num. 115. & 117. Vasq. 1. p. disp. 200. cap. 3. idemque constat probabile de Sala. 1. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 7. num. 124. & Dandin. in 2. de anima digressione 30. post Henricum, Durandum, Occamum, Gabr. Gregor. & alios citatos num. 13.

28. Probatur 1. de immaterialibus.

Probatur quia Angelus eod quod est intelligibilis in actu, & habet substantiam suam sufficienter præsentem, & virtuti intellectiue coniunctam ( seu potius realiter identificatam ) potest se per suam substantiam cognoscere, ut ostendimus in prima conclus. ex D. Thom. quæst. 56. art. 1. & commun. sententia. Similique de causa potest accidentia naturalia sibi inexistentia intelligere per seipsa, ut in secunda assertionem probauimus. Atque alij Angeli sunt etiam intelligibiles in actu, & possunt esse per se præsentem virtuti intellectiue suis Angelis, eique vniri, non quidem informando, quod non est necessarium, sed assistendo: & alioqui non excedunt virtutem intellectiue cuiusuis Angeli. Ergo possunt per seipsos ad vnoquoque Angelo cognosci. Idemque dico de accidentibus eorum naturalibus, deque animabus rationalibus, & aliis spiritalibus obiectis Angelo proportionatis.

D. Thom.

29. Probatur de materialibus.

Quoad res verò materiales, illæ quoque sunt actu intelligibiles. Neque enim ad hoc oportet ut sint immateriales, sed quicquid est, est intelligibile prout est. Ac licet res materiales intelligantur per actum immaterialem; intelliguntur tamen ipse secundum se, & materia ipsa, ac sensibilibus intelligitur secundum propriam rationem. Nihil enim est, in illis, quod non sit intelligibile. Et alioqui res materiales non excedunt virtutem naturalem Angelicam: possuntque illam per seipsas mouere, ad sui intuitionem, ut inferius ostendemus, dummodo sint illi sufficienter præsentem: & quilibet Angelus potest huiusmodi rebus applicatè virtutem suam intel-





etiam, illasque proxime aut sufficienter presentes sibi reddere, localiter ad illas accedendo. Ergo potest illas intelligere immediate per seipsas.

30. Confirmatur quoniam Angeli cognoscunt intuitu res materiales de nouo existentes, alias & alias in infinitum, illas etiam quae pendent a libera Dei vel creaturae voluntate, & contingenter fiunt; comparando illas cum tempore quo sunt, aliisque circumstantiis. Et hoc non per species ante acceptas. Tum quia sola species id non possent. Tum etiam quia non ante acceperunt species illarum omnium rerum & circumstantiarum. Alioqui praenouissent certissime futurum, quicquid naturaliter cognoscunt, dum existit: & tamen certum est, & concessum ab omnibus, Scriptura idem confirmante, Angelos non cognoscere futura contingentia, a Dei vel a creaturae libertate pendentia. Necessarium ergo est ut inuenitur intellectus Angelum in praesentia obiecti materialis, ad habendam cognitionem, quam antea nequibat. Vel ergo iuuatur per species ab obiecto impressas, quae in praesentia obiecti per se praesentis, & sufficienter applicati non apparet necessaria: & ab obiecto materiali produci nequit, & imprimi menti Angelicae pure spiritali. Vel potius quia obiectum ipsum per se determinat immediate, & mouet intellectum Angelicum: quod facilius est, quam imprimere speciem spiritalem, & ad intuitionem Angelicam naturaliter est necessarium, ut ostenditur in fine huius disputationis.

31. Angeli non egent specie ad non praesentia indirecte tantum aut confuse cognoscenda; per aliud, vel in alio.

Dico quarto Angelum non egere speciebus ad obiecta non praesentia, indirecte tantum & mediate per aliud, vel confuse in alio cognoscenda, siue germane, siue analogice. Probat, quia sufficit ut illa obiciantur Angelis in quibus haec mediate cognoscunt. Nam per illa sufficienter determinatur, & mouetur intellectus ad indirectam istorum cognitionem: sicut in nobis experimur. Cum enim regem v. g. in imagine cognoscimus, vel singularia in conceptu vniuersalis, vel causas per effectus, & similia: patet est, si ea nobis occurrant, ex quibus naturaliter istorum cognitionem eruimus, aut ad illam naturaliter eorum interuentu deducimus. Sic Angeli Deum in seipsis, & in aliis eius effectibus, multo perfectius cognoscunt, quam Gentiles illi, de quibus Paulus ad Roman. I. v. 20. Superest ergo, ut solum ad directam germanamque notitiam obiectorum non existentium, aut non praesentium sufficienter praesentibus extra sphaeram diuinationis, egent Angeli speciebus ad mouendum & determinandum eorum intellectum, vice ipsorum obiectorum, ut in sectione praecedenti probatum est. Meminisse autem oportet, quod semper hic loqui de obiectis naturalibus, & naturali cognitione Angelorum.

SECTIO IV.

Resistanter sententiae claustrariae.

Contra doctrinam praecedentem sentiunt primò Thomistae, contententes Angelos egere speciebus superadditis intellectui, ad concipiendum quicquid a se distinctum immediate & directe intelligunt, licet illud existat, & per se praesens sit. Citant imprimis Dionysium, & Augustinum, assignantes Deum Angelis rationes rerum seu species infundisse: vel in mentibus Angelicis Deum fecisse, intelligibili modo, quia quae in propria existentia initio non sunt creauit. Sed hoc nobis non obest. Quia licet obiecta possint concurrere per seipsa, quando existunt & sufficienter praesentia sunt: potuit tamen Deus eorum species Angelis infundere, ut non penderent in illis cognoscendis ab ipsorum existentia vel praesentia, neque cogerebantur aut existerent.

Opponunt secundo Dionysium eundem c. 4. de diuin. nom. dicere: *Angeli eorum quae sunt, rationes discunt, diuina sibi accommodata illustratione*: id est, ut ipsi exponunt per species a Deo impressas. Et c. 7. dicit, Angelos non congregare diuinam cognitionem ex rebus inuisibilibus aut sensibilibus. Atqui si iuuante occurfu obiectorum formaret eorum cognitionem, ut nos facimus, colligeret Dei cognitionem ex rebus creatis. Respondet deo primò Dionysium priori loco vnum affirmare, & alterum non negare, atque ita nobis non obesse. Secundo, probabilius esse Dionysium utroque loco debere intelligi de Angelis Beatis, & de cognitione ipsorum ut Beatorum, quam habent ex Dei illustratione id est, per lumen gloriae ab ipso concessum, cuius ope cognoscunt Deum in seipso, & creaturas ut in eodem repraesentatas, independentes ab occurfu & causalitate obiectorum ipsorum creatorum.

Opponunt tertio sensus externos nihil sentire sine speciebus immixtis ab obiectis, existentibus licet & praesentibus, quibus determinentur & compleantur in ratione principij ad elicendam vitalem expressionem obiecti. Ergo idem cogitandum est de intellectu humano vel Angelico. Neque enim sensus externi minus habent proportionis & virtutis respectu suorum obiectorum sensibilibus, quam intellectus respectu intelligibilium. Respondet deo primò indirecte. Si sensus externi nihil omnino possunt cognoscere sine speciebus; & intellectus non plus habet virtutis circa intelligibilia: Ergo Angelus nihil potest intelligere sine specie. At hoc per ipsosmet aduersarios falsum est. Siquidem seiplos intelligunt Angeli sine specie, ut fatentur illi cum D. Thom. q. 56. art. 1. Ipsas quoque species non intelligunt per alias species, ne abeantur in infinitum, aut aliquae suarum specierum sentis inintelligibiles.

MARTIN  
NIUS  
1641  
D. VI  
U.



Respondet secundò, non eandem esse proportionem; neque intellectus & sensuum externorum respectu obiectorum: neque sensuum ipsorum inter se. Etenim manifestum est experientia, sensus externos diversimodè se habere. Et quosdam percipere tantum obiecta distantia, aut quasi distantia: ut visum. Alios tantum coniuncta: ut gustum & tactum. Alios & coniuncta & distantia: ut auditum & odoratum. Tertio, nullo experimento constat sensus externos, quando percipiunt obiecta, non distantia, debiteq; applicata, indigere speciebus, & tunc saltem non posse ab obiectis ipsis debite presentibus & applicatis moveri. Quicquid enim tribuitur speciebus, excepta inhaesione, quæ non est necessaria ad excitandum (alioqui deq; Angeli substantia ipsum excitaret, neque Deus intellectum Beati) Quicquid, inquam, aliud tribuitur speciebus, potest ipsis obiectis non minus commode tribui. Idque probabile esse affirmat Valentia disput. 6. quest. 4. p. 2. col. 2. & absolute docet, Quæstus controversia 13. de anima, puncto 1. post Ocamum Gabriel. & Gregorium, quos citat: quibus adde Durandum in 2. dist. 3. & Dandin. in 2. de anima digest. 30. Inter quosdã qui solisensui visus species tribuunt. Alij etiam visui vniuersim & semper necessarias esse negant: sed ad summum tunc quando obiecta simpliciter remota videt, ut lucem aliquam remotam per medium tenebricosum: vel non debite propolita, ut quando obiecta auersa per speculum attingit: si tamen tunc obiectum ipsum videt, & non aliquam eius similitudinem in speculo formatam. Cætera vero quæ ab experientia afferri solent, varijs obiectorum determinationibus vel conditionibus tribuunt.

Sed quamuis sensus omnibus speciebus egerent: intellectus Angelicus, qui perfectior est, potest egere paucioribus, quam sensus: quorum sensio, si per speciem fit non concurrente obiecto per se determinante, errori valde obnoxia est, & minus certa, quam debeat esse intuitio Angelica. Nam si Angeli errent in intuitione sua intellectiua: non habent naturaliter actum certiorum, neque potentiam certiorum, per quam errorem corrigant. Fortasse autem quemadmodum agentia corpora censentur communiter non posse naturaliter agere in simpliciter distans, nihil agendo per medium: sic neque possunt determinare sensus à quibus distant, nisi species immittant. Dum ergo coloratum simpliciter distans visu percipitur, ut cum procul apparet per medium tenebricosum & inuisum: aut cum sonus ad aures vsque nec solus, nec cum alio concurrente multiplicatur: vel odor vsque ad sensum olfactus: tunc probabile est necessarium esse ad sensum mouendum ac determinandum, multiplicare per medium species, & ad sensum vsque immittere, ut actio obiecti simpliciter distantis, per totum medium interiectum

diffundatur aliqua ratione. Sedis autem si obiectum per se indistans, singulatim aut totaliter sumptum, & sufficienter proportionatum est, apteque per se propositum sensui. Singulatim, inquam, aut totaliter: nam quæ remota sunt, si percipiuntur simul cum proximis, possunt per modum vnius totalis agentis, & obiecti cooperari, & determinare per se. Dixi etiam, proportio- natum & apte propositum: cuiusmodi ea non sunt, quæ terò posita cernuntur in speculis specie intermedia. Si tamen ipsamet videantur, & non potius tenuis quadam & vana ipsorum imago in speculo efficta, ut aliqui existimant.

Secundò, suar. lib. 2. cap. 3. m. 3. & sequent. putat intellectum Angelicum nihil externum sine speciebus intelligere posse. Sed primò, non bene supponit omnem cognitionem in assimilatione consistere. Quod de cognitione auersatiua, & disensu formali falsum esse ostendimus tract. 1. disp. 9. num. 11. Secundò, si cæteræ cognitiones fiunt per quandam assimilationem intentionalem cognoscentis & cogniti, tam potest obiectum existens & sufficienter presens, ad illam iuuare per seipsum: quam per speciem à se impressam. Illudque magis significat D. Augustin. lib. 9. de Trin. cap. 12. cum ait, ex obiecto & potentia pri notitiam. Tertio, peperam supponit intellectum diuinum egere substantia, seu essentia diuina velut specie: cum multò melius & perfectius concipiatur, ut in finitè potens, & seipso sufficiens ad omnia intelligibilia, sine vilo concursu & causalitate obiecti vel speciei. Quarto, gratis assumit concurrere illum obiecti & speciei, quo nos & Angeli egemus, esse coefficientiam & com- productionem actus: cum potius nihil aliud sit, quam determinatio quadam & excitatio, sine efficientia. Qualis est excitatio cognitionis respectu voluntatis ad attendendum amorem: vel phantasmatis, ad excitandam intellectionem: vel applicationis, respectu potentie executiue: vel dispositionum in materia, respectu formæ substantialis introducendæ, etiamque animæ rationalis, quam certe non efficiunt. Nam intellectus tam est completa potentia ad conducendos physice suos actus, quam voluntas & potentia executiua ad suos. Quare, non haec probat intellectum Angelicum determinari posse ab obiectis externis, etiam materialibus, quia id Angelis indignum foret. Nam D. Augustin. 12. de Trin. cap. 7. discre- contrarium affirmavit. Deus, inquit, nec ad tempus videt, nec aliquid noui est in eius visio- ne acquisientia, cum aliquid temporaliter ge- ritur. Sicut inda afficiuntur sensus vel cogita- les animalium & hominum, vnde etiam cælestes Angelorum. Et nos antea probauimus ne- cessarium esse obiecta materialia iam exi- stentia & Angelis presentia, alio modo iuuare intellectum, quam species solæ iua- rent antea: quippe insufficientes ad perfe-

Nnn

37.  
Suar.  
Ne futu-  
tur qui vo-  
lunt Angeli  
s nihil  
externum  
intelligere  
sine spe-  
ciebus.  
August.  
36.  
Obiecta  
materialia  
determinant  
Angeli ad  
sui cogni-  
tionem.  
Supra, nu-  
m. 25. Vi-  
de etiam  
dicenda in  
sermo num.  
71. de sen-  
sibus.

Valent.  
Ouid.  
Durand.  
Dandin.



tionem notitia intuitiva, quam nunc habent in presentia obiectorum, & ante habere non poterant.

38. Raynaud.

Species Angelice non modificatur ad presentiam obiectorum.

Neque satisfacit, quod responderi Theophilus Raynaud. in Theologia naturali dist. 4. quest. 1. art. 5. num. 112. & sequentibus, modificari species ad presentiam obiectorum: & quod iam aliter determinare perfectiusque concurrere. Quero enim, a quo modificentur? ab intellectu, an a Deo, vel ab obiecto? Recursus ad Deum neque necessarius, neque philosophicus est. Si autem ab intellectu: debet ille iuari ab obiecto, ut nunc sit potens ad talem modificationem, cum antea non esset. At si obiectum iurare potest ad modificationem: quidni immediate ad intellectum, quod compendiosius est, & non apparet difficilius?

39. Suar.

Angeli non vident extra externa ad quam distantiam.

Instat Suar. lib. 2. cap. 3. num. 17. quia si Angelus iuatur immediate ab obiectis externis: vix non videt ad quamcunque distantiam, quod est contra omnes: vel datur actus in distans. Respondeo non esse verum, neque concessum ab omnibus, Angelos posse videre res existentes ex quacunque distantia. Contrarium enim docent Alevis, Scotus, & quotquot alij docent Angelos accipere species ab obiectis, aut ab ipsis determinari. Actio enim siue imprimendi speciem, siue determinandi intellectum, non potest exerceri ab obiectis ad quamcunque distantiam. Adde Scripturam satis insinuare non cognoscere Angelos res existentes, etiam materiales, quamcumque distantes. *Io. 1. v. 7. Circa viui terram & perambulauit eam &c. Nunquid considerasti seruum meum Iob? Et Matth. 12. v. 43. vbi Christus ait spiritum immundum, id est, diabolum, cum exierit ab homine, perambulare loca arida ad requiem captandam: eaque non inuenta; reuertere domum quam exiuerat. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & struam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus, requiores se: & intrantes habitant ibi, & sunt potissima hominis illius (energumeni) peiora prioribus. Atqui si demon vndique videt omnia, poterat Iob. in considerasse attentè, terram non peragrata, cuius eam peragratiõis præsupsisset causa vel occasio. Hæc demon interrogat, num Iob seruum suum considerauerit. Nonne erat quidam alter locus aridus, in quo pereret ad requiem querendam: si antequam eo se conferret, videre poterat non esse ibi quieti locum: nec ut reverteretur ad antiquum hospitium, cognitaque ipsius dispositione comoda, rediret ad socios, illisque assumpsisset, in illud simul iterum intraret. Quis enim opas tot peregrinationibus, si ex arido loco poterat hospitij dispositionem cernere, indeque socios aduocare, tumque simul in illud se recipere?*

40.

Non obest, quod opponunt aliqui, Diuitem epulonem ex inferno vidisse Abrahamum & Lazarum existentes in Limbo. Nam vel hæc distantia magis non fuit physice, &

et moraliter sit magnum chaos interiectum, propter impossibilitatem commeari vel capis: Aut potius hæc visio non fuit naturalis quoad modum, sed supernaturalis, sicut alia multa ad usitiam diuinam, & Beatorum ac clarissimorum statum pertinentia. At hinc non sequitur, quod subiungit Suarez, non posse Angelum intueri nisi obiectum sibi intimum, vel indistans localiter. Nam si partes remotæ, puta centricæ globi ignei, possunt cum intermedijs & proximis subiectum calefacere, per modum vnus agentis totalis, sufficienter propinqui per aliquid sui: & agentia materialia intra spheram suæ actiuitatis possunt vnus cum alijs intermedijs, vt attingant passum per modum vnus agentis totalis: aut dummodo agent simili vel diuersa actione per totum medium interiectum, possunt patiens, licet supposito distans, afficere: propter sufficientem huiusmodi contactum virtutis quodammodo continuatur: quando magis possunt obiecta remota, etiam materialia, vnus cum propinquioribus, vt simul per modum vnus totalis obiecti determinent? Porro in priori casu non est necessarium Angelum omnia intermedia intueri, quando intuetur illud quod distans est. Potest enim vti in adæquare determinationibus obiectorum, æquè ac speciebus, & attendere solum ad vnum aliquod obiectum: inter multa æquè sibi propinqua.

Adde non esse necessarium eodem rigore philosophari de causalitate determinatiua obiectorum, atque de physica productione. Fortè etiam Angeli præcioribus iudicent ad determinationem, quam sensus materiales. Et quod de actione in distans communiter docent Philosophi, non est facile ad spiritalia extendendum, de quibus speciatim id negat ipsemet Suar. lib. 2. cap. 28. num. 12. & 13. Denique frustra probare conatur esse impossibile vt obiectum materiale determinandum afficiat potentiam spiritalem. Nam potius, vt antè ostendimus, id Angelis, aliquam insufficientibus ad intuemum, necessarium est. Et ex ipso Suar, intellectus humanus determinatur à phantasmate materiali, ad eliciendam speciem obiecti in phantasmate representati. Et anima rationalis, vt idem Suar, affirmat, intuetur immediate in sensiones externas, ad quas eliciendas determinatur & mouetur ab obiectis sensibilibus, vel ab ipsorum speciebus materialibus in organo receptis. Quemadmodum statem Suarez, & alij aduersarij, dicunt, intellectum nostrum determinari à phantasmate ad eliciendam speciem: æquè facile & maiore compendio dicerent determinari immediate ad intellectionem: dum vtrumque sit æquè spiritale: & concursus productiuus non sit hic necessarius, sed merius duntaxat & determinatiuus.

Idem Suar. cap. 5. num. 3. contendit Angelum non posse alios, existentes licet & præscientes, cognoscere per propriam ipsorum substantiam, sine specie. Primò quia non

Obiecta remota sunt determinate Angeli ad sui cognitionem simul intermedijs. Nota tamen quod si necessaria cogitatio simul.

41.

48. Vnus Angelus per



est alius cognoscere sine specie per ipsius substantiam. est sufficiens proportio inter intellectum vniu. Angeli, præsertim in inferioribus; & substantiam alterius, præsertim superioris. Sed hoc gratis assumitur, & principium petit. Secundò quia, inquit, sequeretur Angelum cognitum illabi in substantiam cognoscentis. Quod ex communi consensu Theologorum & Patrum, Dei solius proprium est. Verùm, vt ipsemet Suarez agnoscit num. 14. & 15. illapsus ille, de quo Theologi & sancti Patres, plus dicit. Definunt enim præsentia inima vnus substantiæ in substantia alterius continendo illam in suo esse, cum potestate & dominio in illam. Sic autem non est Angelus cognitus in cognoscente, licet ab eo cognoscat sine specie per suam ipsius substantiam, vt manifestum est.

Terriò, num. 16. & 17. sit ad mutuam intuitionem duorum Angelorum subordinatiorem aliquam requiri, vel necessariam, vel liberam. Alioquin enim concurrerent mere per accidens & fortuito, quod est contra perfectionem Angelorum. At hæc neque subordinatiõ necessaria reperitur, siquidem vnus Angeli substantia non subordinatur intellectui alterius: nec libera: quia si liberè concurreret, vnus vnusque seipsam præsupponeret. Non enim potest alter alterum determinare & iurare liberè, nisi cognoscat naturam prius illum esse præsentem, & egere auxilio. Si autem prius cognoscat præsentem, prius videt. Eius autem visio pender similitèr à libera volitione alterius, videntis ipsum præsentem & egentem auxilio. Ergo à primo ad vltimum, visio cuiuscunque Angelorum præsupponeret seipsam: priusque deberent se mutuo intueri, quam constituerentur potentes proximè ad visionem per mutuam coniunctionem liberam ad concursum sibi præstantem.

44. Respondeo nullam hæc subordinatiõem necessariam esse, vt neque est in multis alijs concursibus: existentiam verò & præsentiam Angeli sufficere ad concursum determinatiuum, quem non liberè præstat, sed necessariò, more aliorum obiectorum naturalium creatorum. Hoc enim exercitium consistens non in efficiendo quippiam, sed in determinando potentiam cognoscitiuam, non est exercitium liberum Angeli: idèòque non supponit mutuam Angelorum volitionem, & intuitionem: Neque propterea concursus ille fortuitus est, sed ordinarius & naturalis ac necessarius, saltem ex parte obiecti determinantis vt talis. Ad eum modum, quo non est casuale aut fortuitum sensus externus determinari ab obiectis proprijs sufficienter præsentibus, & debite proportionatis.

SECTIO V.

Undenam Angelis species intelligibiles?

45. Dico primò aliquas esse in Angelis species intelligibiles à proprijs ipsorum

actibus productas, quibus ad eorundem obiectorum & actuum recordationem, vel cognitionem similem determinantur. Probat quia Angeli recordantur suorum actuum liberorum præteritorum: itemque effectuum contingentium extraneorum: imò meminerunt temporis, loci, & cæterarum circumstantiarum, vt patet ex colloquijs demone intra arreptitios, & obseruatione pactorum magicorum: item quia oppositum magna foret imperfectio in intelligentijs perfectis, quæ carent homines, imò & plurimè brutorum animantium. Tam verò nequeunt Angeli scire certò naturaliter aliquid fuisse tali tempore, quin habeant causam talis assertio nis. Et hæc causa ad quæta non est, tantum quod res fuerit: alioqui posset quamlibet sibi non ante cognitam, dummodo æque fuerit. Non etiam existentia obiecti, aut intuitio præterita. Hæc enim non magis sunt, nec magis vigent per seipsa, quam si nunquam fuissent. Non item species impressa præexistens in Angelo ante primam obiecti perceptionem; aut quid aliud intra, vel extra, præexistens ante rei contingentis existentiam & primam intuitionem: alioquin antea etiam cognouisset rem vt futuram, vel vt præteritam; comparando illam cum suis differentijs temporalibus, & alijs circumstantijs. Ergo recurrendum est ad aliquid, quod ab eo tempore fuerit. Nempe ad speciem ex intuitionem relictam. Neque enim aliud commodius occurrit.

46. Neque dicas sufficere habitum partum ex actu præcedenti, & facilitantem, que inclinantem intellectum ad obiecti recordationem. Nam absolute nequit potentia naturalis illius recordati sine illo additamento, aut alio æquivalente. Ergo non eget tantum illo vt facilitante. Deinde, ne de nomine lis sit, per speciem intelligimus quamcuque qualitatem suppletentem vices obiecti, ipsiusque concursum. Quare si habitus ille hoc habet, est eatenus species. Si non habet: eget alio intellectu, quo tantum obiecti supplente, cognitionem eliciat.

47. Dixi species illas à prioribus cognitionibus non tantum relinqui, sed etiam produci: quia positis actibus producuntur: neque apparet, quòd vim ipsorum productiuam excedant, aut à quo alio producantur. Recursus enim specialis ad Deum, non est hæc necessarius. Obiecta verò pleraque, saltem omnia materialia, sunt improportionata earum productioni. Deinde species istæ non tantum valent ad obiectum rursus intelligendum: sed etiam ad ipsum actum recognoscendum: ad quod sola species obiecti non sufficeret.

48. Perperam autem Vasq. disp. 208. cap. 4. num. 19. censet Angelum cognoscere aliquid esse præteritum, licet nihil relictum sit ex actu cognitionis; quo id præteritum eo tempore quo existit. Primò enim, non coheret cum ijs quæ ex eodem Vasq. retulimus disput. 38. num. 6. in fine: Deinde si cog-

Aliquæ species intelligibiles Angelorum sunt productæ per ipsorum actus.

46. Oportet obiecti

47.

48. Vasq.

est alius cognoscere sine specie per ipsius substantiam.

Neque ad hoc requiritur subordinatiõ vnus ad alterum.

44.

45.



Angeli nō  
possunt re-  
cordari si-  
ne specie.

nitio præteriti nihil reliquit: ergo intellectus non minus est impotens, ac si visio non fuisset. Eodem enim modo se habet. Et quod eodem modo se habet, æquè impotens est. Ergo sicut non posset recordari, si non percepisset: nihil magis potest, licet ita perceperit, ut perceptio nihil reliquerit. Confirmatur, quia non plus haberet in eo casu intellectus Angelus post primam perceptionem rei, quàm ante. Ergo sicut ante non cognoscebat rem ut futuram; post non cognosceret ut præteritam. Confirmatur secundò: quæ enim extiterant & præterita iam sunt, perinde non sunt, ac non erant quando erant tantum futura. At qui tunc ipsorum existentia, quia non erat, non poterat esse per se nota immediatè Angelis. Ergo ne postquam sunt præterita, possunt ab Angelis immediatè, & sine alio indicio cognosci esse præterita. Consentit Suar. lib. 2. cap. 12. num. 8. & sequent. ubi hac de re plura.

Suar.

Dices, Si Angelorum cognitiones pariunt species, quippe viles & necessarias ad memoriam præteritorum: ergo cognitiones, quas successivè infinitè exercebunt totà æternitate à parte post, pariunt species infinitas. At capacitas Angelorum, quippe finita, non potest naturaliter recipere species infinitas: ergo &c.

49.

Species  
Angel.  
multiplicatur  
in infinitum.

Respondeo species illas non esse naturaliter incorruptibiles, neque perpetuè manere veteres novis adveniētib: sed contrà sensim remitti, & perire de consuetudine: atque ita nunquam totam capacitatem Angelorum expleri: ut neque nostram, cum noua dicendo, præteritorum obliuiscimur, speciebus per de consuetudinem, aut aliter peccantibus. Sunt enim species huiusmodi nature fluxa, æquè ac habitus acquisiti, qui nisi actibus foueantur, pereunt sensim ipsa de consuetudine. Vnde fit ut Angeli tandem obliuisci possint præteritorum, nisi eorum vel species conseruetur, novis actibus, vel locò eorum sensim pereuntium, vniuersaliores substituunt, actibus amplioribus, simplicem vnam speciem, producentibus æquiualentem multis. Atque hoc puto esse verisimilius, quàm quod aliqui dicunt; Angelos absolute non posse naturaliter obliuisci præteritorum, præcipuè vero suorum actuum: idèoque ubi tantam capacitatem receptiuam eorum repleta est Deum (neque enim actus ipsi naturaliter prætere id possunt) ut delocum speciei nouæ actus noui A; delere speciem veterem actus B; & vnam nouam producere representantem A; & B; sua simplici entitate æquiualentem duabus distinctis speciebus, representantibus seorsim A; & B; cuius nouæ speciei capax est Angelus, licet non sit capax duarum distinctarum: quoniam illa propter suam simplicitatem, minus subiectum occupat, in quo ubi rursus impleta erit capacitas duplicando species; triplicatum, in, & quadruplicatum, & sic deinceps in infinitum per totam æternitatem; ac

si opus sit, deueniri ad species, quæ licet finitæ sint entitatis, successivè tamèn infinitè representare possunt. Sicut intellectus, licet finitus, valet per modum principij effectiui ad cognoscendam infinitam successivè: & lumen solis finitum, valet ad infinitas Dei perfectiones, & creaturarum, in Verbo cognoscendas diuisim aut successivè. Verùm ut dicemus in tractat. de incarnat. dip. 10. num. 74. illa qualitas valde improprie diceretur species, cum non habeat naturam & officium speciei, quod est determinare. Neque enim ipsa posset intellectum determinare, quippe quæ cogit æquè indifferens & indeterminata, sed egeret Dei determinatione. Deinde licet admittamus omnia prædicta esse possibilìa: non est tamèn Angelitanta perfectio naturalis nobis nota, ut ad obliuionem ab ipso prohibendam necesse sit inducere hæc mysteria: multòque minus existimare naturaliter illi debent.

Dico secundò, præter species illas ex actibus relictas, alias esse in Angelis ab initio creationis ingentitas; non tamen ab ipsorum substantia manantes: neque naturaliter debitas: neque extrinsecus omnium rerum, quas in quacunque temporis differentia cognituræ erant, representantias.

Prima pars est Diui Thomæ quæst. 55. art. 2. Caietani, Molina, & aliorum interpretum ibidem, Suar. lib. 2. cap. 7. Probatur primò ex Scriptura. Nam Ecclesiastici 17. dicitur Deus primos parentes repleuisse disciplina intellectus, creasse illis sensum spiritus, sensu repleuisse cor illorum. Aequum autem est idem sentire de Angelis: de quorum vno, rebellium principe, interpretantur allegoricè sancti Patres illud Ezechiel. 28. Tu sis sicut similitudo, plenus sapientia &c. Dionys. quoque cap. 4. 5. & de diuin. nomin. docet, rationes rerum & exemplaria fuisse à diuina mente Angelis indita & communicata. Et D. Augustin. lib. 2. de Genesi ad hieram cap. 8. affirmat, ut ex eodem refert approbatque D. Thom. quæst. 55. art. 2. in fine corp. & q. 56. art. 2. corp. ea quæ in verbo Dei ab æternò præextiterunt, dupliciter ab eo fluxisse. Vno modo, in intellectum Angelicum: alio modo, ut subsisterent in proprijs naturis. In intellectum autem Angelicum processisse per hoc, quod Deus menti Angelicæ impressit species, seu similitudines rerum, quas in esse naturali produxit. Accedit tertio ratio congrua. Cum enim Angeli pendant in intelligendo à consensu obiecti, vel speciei vicem eius suppletis: non potuissent ab initio intelligere nisi illa obiecta, quæ tunc præsentia habuerunt: aliorum verò complurium expectandus fuisset occurus, nisi species illorum accepissent. Ac conueniens fuit, ut ad plurimam eiusmodi intelligendam instructi fuerint. Quò facit elegans similitudo Diui Thomæ quæst. 55. art. 2. corp. Quod quemadmodum materia corporum cælestium



incomparabiliter accepit ab initio formas suas substantiales sibi congenitas: sublunaris vero subinde accipit per generationes ab agentibus naturalibus: sic Angeli, celestes spiritus & immortales, species seu formas intentionales rerum acciperunt ab initio congenitas: humani vero intellectus sensum eas acquirunt, & ab objectis ipsis accipiunt.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet eiusmodi species non manant effectivè à substantia Angelorum, est Divi Thomæ art. proxime cit. corp. & ad 1. & quæst. 56. art. 2. ad 4. & 3. parte, quæst. 2. art. 3. ubi specialiter Deo tribuit species illarum effluxum, nunquam autem naturæ Angelorum: comparatque hanc impressionem specierum, cum illa, quæ per Verbum Dei, animæ Christi sibi vitæ personaliter impressa sunt species intelligibiles ad omnia ad quæ intellectus possibilis est in potentia. Est item Molina, Ferracius & aliorum plurium quos citat & sequitur Suarez, lib. 2. cap. 7. num. 4. Favent etiam Dionysius & Augustinus, locis supra relatis.

Ratio eiusdem est, quia quæ sunt ab essentia, sunt à natura determinata. Quippe quia natura determinata postulat proprietates & perfectiones determinatas: & quicquid oritur à causa necessitata, ex vi sui principij determinatum est: quicquid vero oritur à causa libera, ex vi sui principij indeterminatum est. Atqui species Angelis congenita non sunt à propria ipsorum natura determinata: sunt enim tantum species rerum in uniuerso productarum à Deo, ut docent S. Thom. quæst. 56. art. 2. & alij communiter: Angelis autem accidentarium est & indifferens quoddam Deus tale uniuersum, & has rerum species à naturas produxerit, potius quam alias. Ergo quemadmodum determinatio rerum à Deo productarum fuit à Dei providentia & libertate: sic & determinatio specierum eiusmodi rerum Angelis infusarum. Confirmatur, quia productio naturalis specierum intelligibilium, veluti proprietatum connaturalium ab essentia manantium, effect omnium ad Angelo naturaliter intelligibilium, saltem quot simul possunt ab illo naturaliter recipi. A hæc potentia seu capacitas naturalis non fuit completa in Angelis per species rerum uniuersi, congenitas Angelis inferioribus æquè ac superioribus quorum tamen capacitas longè amplior est, quippe commendata naturæ perfectioni. Neque dicas effectiorem naturam quidem esse: determinationem vero ad has, & ad tot, non plures, Deo tribui debere. Etenim Deus ut causa prima & naturalis, non determinat rerum proprietates & effectus, quoad speciem: neque impedit quò minus cause naturales & necessarie aliunde non impediatur, operentur quantum possunt: præsertim quoad effectus maxime

propriis & connaturalibus: cuiusmodi sunt proprietates, respectu essentia, & qua fluunt.

Tertia pars assertionis, quod videlicet huiusmodi species non fuerint debita naturaliter Angelis, est Alensis, Scoti, & Ioruni, contra Thomistas, qui cum existimant Angelum nihil præter seipsum posse cognoscere naturaliter sine specie, & speciem ab objectis accipere non posse: aiunt ne debuisse speciebus instrui, ne otiosus maneret & cæcus circa cætera intelligibilia, incapax civilis societatis, & commercij cum alijs. Ideo que ex debito & exigentia naturali coheretas illi iussit species cæterarum rerum naturalium cum ipso conditarum. Sed hoc fundamentum superiori sectione peruersum est. Possunt enim Angeli, & ab initio perueniunt, intelligere sine specie tum seipsum & sua omnia, tum alios Angelos & cætera increata sufficienter præsentia & proportionata, atque eorum virtutes, proprietates, causas, effectus, & accidentia naturalia. Quare tunc otij periculum non fuit: deinceps vero multò minus, pro iugis alijs aliisque rebus, quæ infinitam Angelis offerunt intelligendi materiam. Ut mittam quòd ex rebus existentibus colligunt alia multa esse possibile, paria, in eorum, minor: quòdque tum ex se, tum ex alijs rebus creatis, Dei noticiam accipiunt tanto maiorem, quanto præstant hominibus, à quibus tamen naturaliter insensibilia ipsius intellecta conspiciuntur, per quæ facta sunt à sempiterna quoque eius virtus & aunitas. Ita Paulus ad Roman. 1. v. 20. Eorum vero, quæ nondum Angelis in creatione vel per seipsa, vel per aliud occurrebant, cognitio non erat illis debita naturaliter: ut neque nobis debetur scientia naturaliter earum rerum, quarum noticiam labore nostro & perspicacitate inceptij nequius assequimur: ut neque etiam primis parentibus scientia illa, de qua supra diximus, nisi quæ fuit potius beneficium speciale & præternaturale, id est præter naturam debitam. Idemque dico de speciebus infusis Angelorum, siue naturalibus in entitate, siue supernaturalibus, quas Deo placuit illis infundere ad magnificentiam & liberalitatem, vel in ordine ad gratiam & gloriam. Porro si Angeli naturaliter exigent species non potius, exigent rerum à Deo condandarum, quam aliarum creabilium, quibuscum nihil minus proportionis aut connexionis naturalis habent: neque illarum tantum, sed omnium potius naturaliter intelligibilium species exigent, quantum postulat complementum capacitatis intellectus Angelorum: quæ sicut maior aut minor est in Angelis inæquibus: ita plurimum rerum species exigent, quis infundi, quam alijs.

Ergo, inquit, species illæ omnes sunt Angelis supernaturales: quippe infusæ contra naturam debitam. Respondeo omnes

Neque fuerunt debita naturaliter Angelis.

Facere infusæ.



accidens,  
& natura-  
les in sub-  
stantia.

quidem quoad modum productionis fuisse supernaturales, æque ac scientiam primis parentibus & Salomoni infusam: quoad substantiam tamen, omnes species sunt infusas, similis ijs quas illi comparassent ad præsentiam obiectorum, vel propriorum actuum, naturales fuisse, & infusas tantum per accidens. Ultra quas potuit Deus infundere species quasdam (quemadmodum & hebræus) in entitate supernaturalis & per se infusas, quales, aut illis similes in entitate, acquirere non possunt viribus naturalibus.

Quare & postrema pars conclusionis, non fuisse scilicet infusas species omnium rerum, quas quouis tempore cognosci erant, sequitur ex præcedentibus.

Quare & postrema pars conclusionis, non fuisse scilicet infusas species omnium rerum, quas quouis tempore cognosci erant, sequitur ex præcedentibus. Quare enim possunt Angeli obiecta per se sufficienter præsentia intueri, sine adminiculo speciei: quid opus fuit Deum illis ab initio infundere species representantes omnes ventorum flatus, omnes motus fossorum, omnes fluctus marinos, omnia idiomatum genera, omnesque verborum significationes, & similia, quæ Angelos non se experientia certum est? Secundò probatur efficaciter contra Thomistas. Cum enim infinita sint categoricè ea quæ potest Angelus cognoscere, & in tota æternitate cognoscere (in infinitum enim multiplicabuntur actus non beatifici Angelorum & hominum, & suos saltem quisque cognosceret, in d & alienos plurimos, aliique effectus qui naturaliter eos latere non possunt) sequeretur species actu infinitas, aut vnam infinitis æquiualentem, & infinita representantem, infundi debuisset, quod Thomistæ non admittunt. Item cum Angelus cognoscat futura quando existunt, & omnes eorum circumstantias, temporis, loci, &c. sequeretur Angelum eorum omnium species ab initio creationis habere: ac proinde non minus certò posse cognoscere futura libera, quam possit recordari præteritum, quomodo speciem retinet: aut quam Propheta possint ea prænosse & prædicere, quorum reuelationem à Deo acceperunt. At contra fidem est posse Angelis naturaliter prænosse certò, & plusquam coniecturalitè, futura contingentia, vt ostendimus disput. sequenti sect. 2. ergo &c.

Alioqui  
certò præ-  
citer futu-  
ra libera.

Refutatur  
prima  
cuius.

Respondent aliqui Angelos licet habuerint ab initio species omnium naturalium postea futurorum: nihilominus non cognoscere per illas, neque posse cognoscere, nisi sub conditione, quod res existant, aut extiterint. Sed hæc responsio friuola est. Nam quemadmodum res, postquam esse desierunt, cognoscuntur per suam speciem: & res quæ præsentantur futura, cognoscuntur nobis à Deo conceptu. Ita si res futura haberent species in Angelis distinctè representatiuas ipsarum cum omnibus suis circumstantiis, cognoscerentur per tales species, antequam essent. Cognosce-

rentur, inquam, fore tali modo, loco, tempore &c. Non minus atque cognoscuntur præterita, per speciem relictam ex earundem existentium cognitione. Res enim vt cognoscantur non debent esse præterite physice, sed sufficit species earum, quæ excitante & determinante intellectu ad earum cognitionem, sunt præterite obiectiue.

At, inquiunt, Thomistæ, ad hoc vt species determinet actu hinc & nunc potentiam cognoscentem, debet obiectum representare actu: & vt representet obiectum actu, debet ei assimilari actu. Atqui non assimilatur, nisi obiectum existat. Species enim existens non potest esse similis obiecto non existenti. Ergo &c.

Respondeo primò, species rerum possibilem & præteritam determinare actu ad cognitionem, etiam si obiecta non existant: quidni ergo similiter species futurorum? Secundò, assimilatio quæ inter obiectum & speciem requiritur ad excitandam cognitionem, est tantum intentionalis: id est, vis quædam ad excitandum & iuuandum intellectum, vt formet vitalem obiecti expressionem, & representationem, quam vim habet species natura sua, sine obiectum existat, siue non: vt apparet in specie possibilem & præteritam: atque inde species dicitur esse sicuti semen obiecti. Similitudo verò illa, quæ aduenit speciei ex obiecti coexistentia, est tantum relatio categorica, seu potius denominatio extrinseca, ad intellectionem efficiendam non necessaria. Imò plus est dissimilitudinis, quam similitudinis naturalis inter speciem & obiectum: cum obiecta plerumque materialia sint & instantialia, species autem immateriales & accidentales.

Respondent alij obiectum existens debere per se excitare intellectum Angeli, vt eius actualem existentiam percipiat: id est, quæ cum obiectum non est, non cognoscit ipsius existentiam. At esto: non cognoscat Angelus intaiuitiue existentiam obiecti antequam sit obiectum, & per se exciter ad sui visionem: cur non prænoscat abstractiue vt futurum, siquidem speciem illius habet, & temporis, ac loci, aliarumque circumstantiarum? quemadmodum postea cognoscit vt præteritum, quando habet speciem illius vt præteriti.

Simili modo refelluntur Suar. lib. 2. cap. 11. & alij qui dicunt deesse obiecti terminationem, sine qua species non determinat. Nam ad notitiam rei futuræ vt talis, & vt species ad illam determinet, non requiritur existentia obiecti vt præterens physice, & terminans aliter quam obiectiue: sicut non requiritur ad notitiam præteritam & purè possibilem. Quare esto, non cognoscat antea intuitiue, neque ea perfectione, quæ cum intuitiue: quidni abstractiue saltem, quatenus est futurum?

Neque



Quinta  
causio.  
Raynaud.  
Salas.  
Malon.

Neque plus proficiunt Theophil. Raynaud. dicit. 4. Theolog. natur. qm. a. 5. n. 172. & sequent. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 7. p. 124. & Malonius apud Suar. supra, qui dicit deesse speciebus in suis Angelorum modum quandam, & determinationem in infusam, sine qua species non possunt representare obiectum ut existens: hunc autem modum addi speciei quando obiecta existunt: ideoque tunc cognosci posse, non antea.

Enimvero quaestio est, an non cognoscantur abstractiue ut futurae vi specierum: non autem ut iam actu existentia. Præterquam quod istius modificationis causa non potest assignari, ut alibi ostendimus: specialis vero rectus ad Deum, nec philosophicus, nec probabilis est. Nouum enim & sine exemplis est, quod Deus rerum naturalium virtutes continuè immuret: sicut hæc species continuè infusis modis alterantur forent, ut continuam mutationem obiectorum representare possent.

Cur Deus  
species in-  
fuderit ha-  
rum rerum  
potius  
quam illa-  
rum?

Dices non fuisse rationem cur Deus potius aliquarum rerum naturalium & creandarum species Angelis infuderit, quam omnium. Respondeo non fuisse quidem ex natura rei rationem, cur potius aliquarum talium, quam omnium aliarum disunctiue, collectiue enim non sunt capaces omnium: Conuenienter tamen diuinam prouidentiam aliquarum species potius infundere potuisse: puta totius mundi corporei quoad partes præcipuas, & species, & indiuidua illustriora, in quibus magis elucebat speciei perfectio, & Dei bonitas atque magnificentia: exceptis tamen rebus illis, quæ cum ipsis eodem instanti creatæ fuerunt, & sufficienter præsentis: potuerunt enim illas cognoscere per seipsas, & ex earum cognitione intuitiua speciem retinere. Item species earum rerum, in quarum ministerium, aut gubernationem deputabantur. Præter species mysteriorum supernaturalium, eorum saltem quæ ad ipsorum salutem consequendam pertinebant: quorum notitiam actualem vel habituales ab initio creationis habuerunt, ut dicemus disp. 43. sect. 1. Ad demum probabile est aliquorum etiam possibilitatem species infudisse, & quidem plurimum Angelis perfectioribus, licet contrarium D. Thoma & aliis communius placeat.

SECTIO VI.

Quales sint species intelligibiles Angelorum, & ad quid valeant?

61.

Tres in titulo insinuantur difficultates circa species intelligibiles Angelorum. Prima, sintne confusæ vel distinctæ quoad representandas proprias rerum naturas & singularitates? Secunda, sintne vniuersales, & ampliores in Angelis perfectiori-

Tomus I.

bus? Tertia, quid præsent Angelis huiusmodi species, notitiamne intuitiuam, an abstractiuam tantum? Sermo autem est de speciebus tam acquisitis, quam infusis: de quibus,

Dico primo, licet à Deo potuerint Angelis infundi species confusæ, & vniuersales vniuersalitate abstractiua, id est, genus aut speciem ab indiuiduatione abstractam representantes: probabilius tamen videri fuisse potius infusas representantes distincte indiuidua, siue res ipsas singulares. Prima pars liquet. Nam huiusmodi species non dedecent speciales Dei productionem: neque minus dari possunt, quam species expressæ, seu cognitiones representantes naturam vniuersalem à singularibus præcisam, quæ præcisio non repugnet Angelis.

Secunda pars probatur: quia res singulares continent naturas communes, & aliquid addunt earum conceptui, suntque perfectiores, & habent realem modum essendi: vniuersales autem sunt per mentis actum, & ut sic non habent realem modum essendi in re, sed tantum obiectiuum & extrinsecum: quia dicuntur vniuersales per extrinsecam denominationem à conceptu mentis vniuersali, representante confusè per modum vniuersalis, id est, non expressis eorum differentis, ea quæ sunt multa & singularia à partem. Pertinet autem ad perfectionem Angeli ut ab initio distincte cognoscat res secundum modum realem, quæ sunt, aut possunt esse à parte rei. In sine dubio species talis perfectior est, quia continet naturam vniuersalem, & aliquid addit: facileque poterit inferuire angelo ad præcisionem vniuersalem, si eam velit inadæquatè uti, ut potest. Quanquam Angelos intelligentias perfectas minus decet præcisio: Quia etiam de causa species singularium magis eorum perfectioni conueniunt. Contra verò species vniuersalis non valet ad expressam cognitionem vilius singularis. Quare Angelus accepit potius principium ad cognoscendas res singulares, quam communes tantum earum rationes.

Dico secundo, species acquisitas Angelorum aliquas esse confusas & præcisas: alias distinctas, & singulares representatiuas. Sequitur ex supra dictis. Cum enim Angelis non repugnet præcisio & inadæquatio speciei vel cognitionis: possunt Angeli exercere actus præcisius, específicos, genericos, transcendentes, ac probabiliter exercent: quibus acquirunt species proportionatas, representantes tales actus, & eorum obiecta, & que ita confusas duntaxat quoad obiecti representationem. Species enim acquisitæ, quæ ac habitu cõmensurantur actibus, quibus acquiruntur, & illis correspondent adæquatè. Ergo species vniuersales & præcisius respondent conceptibus præcisius & vniuersalibus, quippe cõmensurata ipsorum actiuitati naturali: quæ modum species distinctæ & singulares in representando, respo-

Species infusæ Angelis fuerint distinctæ rerum singularium, potuerunt tamen esse vniuersalia.

Species acquisite Angelorum aliquæ sunt distinctæ, alia confusæ seu præcisius.



dent actibus distinctis & singularibus, quos Angeli frequenter exercent, & per quos tales species acquirunt.

64. Perfectiores Angeli habet species perfectiores, siue infusas, siue acquiras.

De tertio, perfectiores Angelos habere quoque perfectiores & ampliores species, siue infusas, siue acquiras. De acquiras patet. Nam Angeli quod sunt perfectiores, eo plura vnicuique actu percipiunt, & exercent actus hoc sensu vniuersaliores. Igitur acquirunt species ampliores actibus illis communis & aequatas. Possunt quidem, si velint, perfectiores Angelos tendere singulatim & seorsim in obiecta non necessario connexa; atque ita eorum species singulares acquirere. Attamen frequenter exercent actus tanto ampliores, quanto ipsorum intelligendi vis capacior & perfectior est. Sicque praeferunt species illas singulares, aut minus amplas; acquirunt alias vniuersaliores, proportionatas actibus, a quibus producuntur.

65.

De infusis similiter philosophandum est. Licet enim Deo liberum fuerit pares infundere species superioribus & inferioribus angelis: Probabilis tamen est, vel omnes, vel plurimas infundisse naturali intelligendi modo & perfectioni commensatas. Atque ita docent communis Theologi cum D. Thom.

D. Thom.

q. 55. art. 3. c. Ob rationem hanc adducit: quod Angeli perfectiores eo magis accedunt ad similitudinem simplicitatis Dei, cuius tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in vno: scilicet in essentia diuina, per quam Deus omnia cognoscit. Vtraque partem conclusionis confirmat S. Dionysius cap. 17. de cael. hierarch. ubi affirmat Cherubim scientiam sublimiorem esse: ordinum vero inferiorum, magis particularem & inferiorem, pro modo suae conditionis. Et cap. 15. dicit Angelos superiores diuidere inferioribus, quae ipsi vnicuique & vniuersim intelligentia conceperunt. Et cap. 7. de diuin. nom. naturae esse ait animae rationali per signa inferiora & diuidua cognoscere: Angelos vero (nimirum quia intelligentia superiores) vniuersaliter cognoscere, & plura in vnum colligere.

66.

Nulla tamen est definitio actus simpliciter.

Quanta vero sit amplitudo specierum Angelicarum certo definiti nequit. Dubium tamen esse non debet Angelos, quippe natura finita, & consoletur finitae virtutis intellectiuae, nullam habere speciem actus infinitam, siue non commensatam intellectui suo. Qualis esset species valens ad representanda, simul, & determinate, infinita actu simpliciter secundum proprias eiusque differentias. Nam huiusmodi species non est minus infusa, quam species expressa, seu cognitio attingens distincte infinita actu simpliciter. Quare sicut ista excedit vires intellectus finiti: sic illa pariter: quauis representatio vtriusque speciei sit tantum intentionalis, & formalis & vniuersa.

67.

Secus autem in unum quid

Dixi, infusis actu simpliciter: Nam quod attingit ad infinitum actu secundo, quid quale dicitur esse continuum quodlibet, constans ex partibus semper diuisibilibus,

licet simpliciter finitum sit: Ex his adaequata & distinctam eius cognitionem non excedere vires intellectus Angelici, ratione suae qualiscunque infinitatis. Quia Angelus non minus est limitatus in virtute productiua, quam in virtute cognoscitiua. Et tamen producit aliquod tale continuum: pura actus, & species, & habitus, intensos & diuisibiles in partes intensiua infinitas, iuxta eandem opinionem. Quare intellectus Angelicus, ex alia parte perspicacissimus & distinctissimus, poterit tale continuum adaequate & distincte cognoscere, si nihil aliud obstat, quam ratio illa qualiscunque infinitatis. An vero aliunde repugnet, & sitne vera talis infinitudo continui, non discipulo.

Dixi praeterea, secundum proprias causasque differentias: Nam alioqui possum facile Angelum infinita cognoscere actu confuso, & vnam eorum speciem acquirere. Species enim, siue impressa, siue expressa, quae representant naturam vniuersalem praesentam, sunt quodammodo infinitae in representando. Quemadmodum natura ipsa representata, est infinita potentialiter, quippe infinite multiplicabilis, & contrahibilis ad species vel ad individua infinita, quae omnia confuse representantur in conceptu communi naturae.

Contra propositam conclusionem sentit Scotus in 2. dist. 3. q. 10. Maior q. 6. Ricard. art. 6. q. 2. s. Contra: Baskol. q. 3. art. 2. At primo generatim contra specierum vniuersalitate obicitur speciem intelligibilem esse rem indiuisibilem, representantem obiectum cuius est species. Non potest autem eadem forma indiuisibilis esse similitudo plurium rerum dissimilium. Quia deberet assimilari vnicuique. Et si illa sint inter se diuersa, vt necessarium est si plures sunt; non potest vnum esse simile diuersis vt talibus. Ergo non potest vna species esse plurium rerum, vt plurium & diuersarum.

Respondeo similitudinem speciei & obiecti non esse formalem & vniuersam, sed tantum intentionalem, quam plurium vt talium esse posse, in simplici licet entitate, patet ex ideis & cognitionibus diuinis distincte omnia representantibus, licet sint vna entitas simplicissima. Itemque ex illis actibus, quibus multa vt connexa vel comparata cognoscimus. Necessarium enim est vtraque eodem simplici actu cognosci. Puta similia, vt talia, vel dissimilia, vel vnita, vel relata. Nam notitia vtriusque separatum non esset notitia similitudinis, nec similitudinem formalem vt talium. Et similitudo, vniuersa, connexio, & relatio, duorum est, sine quibus non magis potest concipi, quam homo vt homo, non conceptis iis quibus constat essentialiter. Res enim non potest cognosci, vt talis, sine illis omnibus quae includit intrinsece, aut importat extrinsece, quatenus talis est.

Secundo contra id quod diximus, Angelos superiores vt paucioribus & amplioribus speciebus, obicitur hinc sequi aliquos Angelorum

MARTIN  
NEUS  
D. V. M.



In Angeli superiores vnde pauca nobis speciebus non sequitur aliquos nulli possideat.

posse intelligere possibilia sine vlla specie. Na si de decem Angelis, qui se gradatim superent vno gradu proportionem arithmetica, supponamus primum & imperfectissimum intelligere quinque possibilia per eandem speciem; secundus vno gradu perfectior, intelliget per quatuor. Tertius per tres. Quartus per duas. Quintus per vnam. Sextus & reliqui per nullam.

Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem, dico non sequari proportionem, quando a paucitate specierum ad simplicem earum negationem transitur. Tantum enim sequitur, quod si quintus Angelus per vnam speciem, quinque possibilia intelligit: Angelus superior potest eadem & aliquid amplius intelligere per vnicam speciem. Aut, quod sola eadem facilius intelligat, quasi minori virtutis sue conatu & impensura. Adde hoc argumentum in species expressas, contra Scorum retorqueri posse. Et tamen certum est, planque necessarium dari species expressas, seu notitias plurium simul vt plurimum, sicut paulo ante ostendimus.

71. Solae species non suffiunt ad notitiam intuitiuam. Inuitio quid sit.

Dico quarto, species solas, siue infusas, siue acquisitas, non prestare Angelis notitiam intuitiuam obiecti, sed abstractiuam tantum, velut possibilis, aut praeteritis, aut quasi re ipsa imaginabilis existens & praesentis. Probat, quia intuitio est notitia experimentalis, & euidentis rei, in se ipsa immediate secundum praesentem existentiam cognita, terminantisque per se ipsam aspectum mentis, simili modo, quo ea, quae videmus oculo corporeo, terminant aspectum ocularem: ita vt vt talis actus mentis asseratur, aut asseri possit euidenter, sine alia probatione, rem existere: & ex vi talis modi tendendi cognoscatur quomodo res se habeat, secundum esse suum reale & actuale, & secundum ea quae illam comitantur, aut illi accidunt, si non sunt extra sphaeram potentiae cognoscentis sese perfecte applicatis. Et hae differentia cognitionis Deo quidem nihil addit aeterno eius actui, praeter extrinsecam denominationem coexistentiae obiecti. Quippe qui ab aeterno habet totam perfectionem intrinsecam cognitionis, necessariam ad res intelligendas, siue intuitiue vt praesentes, siue abstractiue vt futuras aut praeteritas, vel vt mere possibiles, aequiualentem diversis actibus creaturarum circa eiusmodi differentias. Ideoque differentia quibus cognitio diuina adaequate sumpta denominatur visio rerum praesentium, aut praesentia futurarum, aut memoria vel recordatio praeteritarum, sunt tantum penes obiecta ipsa, vnde extrinsecam tantum denominationem tribuunt Deo, qui ab aeterno perfectissime nouit rem vt existentem, pro ea temporis differentia, in qua existit: & vt futuram, pro differentia antecedente: vt praeteritam pro subsequente. Perfectissime, inquam, ita vt nihil acquirat perfectionis intelligentiae, quo tempore res existit, & a Deo videri dicitur, seu cognoscitur

Non est perfectior in Deo, quam notitia abstractiua eiusdem rei.

experimentaliter, sed illam ipsam perfectionem ab aeterno habuerit, similem illi quam creaturae intelligentiae tunc temporis acquirunt, cum in res ipsas vt existentes actu, sibi praesentes, euidenter & experimentaliter tendunt. Nam in nobis discrimen manifestum est: & in Angelis esse, vt se probabilissimum communique consensu Theologorum receptum est.

Secus quod in nobis, & in Angelis.

Neque enim quanta est perfectio diuina intelligentia, tanta est etiam in Angelica vel humana; sed haec requirit differentiam obiectorum, & vario modo componit obiecta cum tempore, in quo actu cognoscit: ita vult vt intelligat res vt praesentes, aliter vt praeteritas, aliter vt futuras: multoque perfectius in rem tendat, quando eam percipit intuitiue, atque per se immediate, per certam & euidentem experientiam. Etenim, sicut in nobis experimur, intuitio longe perfectior est meliusque nos afficit, quam memoria praeteritorum, vel alia quauis abstractiua cognitio. Nam per intuitionem percipimus rem secundum suum esse reale, & non modò representatum; atque secundum praesentem existentiam actualitatis, & quae illi coniuncta sunt, vel de nouo adueniunt, si sunt proportionata nostrae virtuti cognoscentiuae perfecte applicatae. Et per memoriam non cognoscimus, quomodo res se haberet, si existeret & praesens esset: Posset enim se habere pluribus modis intra limitibus ordinis naturalis. Neque cognoscimus immediate & sine alia probatione, utrum res existat actu, sed tantum quod extiterit.

72.

Hanc autem perfectionem non habet intellectus Angelicus, vel humanus, ex se ipso, vt Deus; alioqui non magis quam Deus existentiam actualem & praesentiam obiecti requireret, sed res cognosceret intuitiue iam inqde ab initio eo ipso quod aliquando extitura forent. At neque ex se ipsis solis. Alioqui ille qui v.g. ratem vidit, & per visionem, sensitiuam & intellectualem diuis speciem acquisiuit; posset non tantum illius procul positae, aut non amplius existentis, recordationem habere; sed & intuitionem, quod manifeste in nobis falsum esse docet experientia. Quamuis enim habere iterum possimus conceptum germanum seu quidditatum, etiam claram, & euidentem rei antea visa, at non intuitionem, qualem ante descripsimus. Necessarium ergo est vt concurrat existentia ipsa obiecti per se ipsam determinans intellectum, & mouens ad sui experientiam, simili modo quo species illum iuuat ad notitiam abstractiuam obiectorum non existentium. Siquidem ad omnem cognitionem eger aliquo determinante & mouente: vt obiecto ipso, cum satis praesens est; vel eius specie, quando est absens; loquenda saltem de obiecto directe & immediate cognito.

73.

Ad notitiam Angelicam debet obiectum ipsum per se concurrere.

Nam quod ait Suarez lib. 2. cap. 11. num. 19. non requiri existentiam obiecti, vt eam videat Angelus, quasi aliquid quod moueat

74.

75.



ad videndum, sed tantum quod terminet visionem? improbable est. Nihil enim est physice impotens ad effectum, aliquid, nisi quia deest aliquid, quod physice debeat concurrere ad effectum: deest, inquam, vel simpliciter; vel secundum quid, id est, non satis propinquum & debite applicatum est, ut concurrat. Et hæc impotentia non completur, nisi per aliquid quod integret & constituat potentiam, quodque vel iam de suo ponitur, vel sit propinquum, & sufficienter applicatur ad concurrendum. Atqui iuxta Suarezem ibidem, Angeli quamvis instructi speciebus obiectorum, sunt adhuc physice impotentes ad perfectionem intuitivam eorundem, ante ipsorum existentiam; & sunt potentes quando obiecta existunt. Ergo antequam obiecta existerent, deerat illis aliquid, cuius concursus physice necessarius est, quodque non merè terminativè se habet, sed in modum concurrens prærequiritur physice. Ergo non sufficit accessisse in obiecto rationem aliquam purè terminativam; à qua, ut Suarez ait, non pendeat cognitio; sed oportet accessisse rationem aliquam motivam, à qua cognitio pendeat physice. non est enim motus illi xup.

75. Confirmatur ex Suarez ipso lib. 2. cap. 3. in fine ubi contra Henricum ex sententia communiori affirmat species ad abstractivam cognitionem iuvantes supplere vicem obiecti; non terminativam, quasi ipsa terminent cognitionem; sed motivam, seu excitativam, ut obiecta excitantes ad eius cognitionem. Ergo quando obiectum supplet per se, id quod deest speciebus ipsique intellectui ad perfectionem intuitionis, movet pariter & determinat ad talem perfectionem; neque tantum terminativè se habet respectu intuitionis; sed motivè, supplet & completur id quod deerat intellectui & speciei, ut intuitionem agnosceret. Neque enim supplet in specie terminativam, quam species habere nonquit: quippe quæ iuvat tantum ut medium in cognitionem, neque terminat ipsa cognitionem, sed obiectum quod per illam cognoscitur; supplet ergo & completur id quod deerat intuitionis & determinationis intellectus. Atque ita non minus per se concurrat ut principium movens & determinans ad intuitionem, quam species vice ipsius concurrat ad notitiam abstractivam. Siquè præter motionem necessarius esset influxus effectivus speciei in actum abstractivum; ut Suarez existimari præsertim videtur requiretur influxus obiecti in intuitionem, cum ad utrumque intellectus sit æquè per se insufficientis, & ambobus necessaria sint ad illum constituendum in actu primo sufficienti & completo. Quomodo ergo necessitas specierum in absentia obiecti, non est ratione terminationis, sed ratione determinationis & motionis, secundum quam supplet vicem obiecti, sic in obiecto, per seipsum si-

ne specie cognito, præter terminationem agnosendum est effectum determinandi & excitandi per seipsum intellectum ad cognitionem intuitivam, simili modo quo species determinat & iuvat ad abstractivam. Ac sicut species non propter eam concurrat effectivè, ut sapius iam diximus: sic neque obiecti existentia concurrat effectivè, licet melius exciter, & ad actum præstantiorem, quam species. Potest enim, quamvis non concurrat effectivè, melius excitare: ut patet ex cognitione respectu voluntatis, quæ quò melior est, ipsam melius excitat: adeò ut licet charitas habitualis viæ, & patria, sit eadem: actus tamen charitatis in patria, sit supra modum excellentior, ob perfectionem visionis beatificæ.

Superest observare primò, præter duo illa genera specierum, nempe infusarum, & constitutarum per proprios actus, non esse alias ab obiectis ipsis impressas. Ut communius docent Theologi cum D. Thom. q. 55. art. 2. Ratio præcipua est, quia talis impressio specierum vel impossibilis est, vel superflua; ideòque à natura abhorrens. Impossibilis, quòdo obiecta non iuvat, aut sufficienter præsentia non sunt, atque etiam si sunt materialia, quippe quæ non possunt Angelis imprimere species, neque materiales, quas Angeli non possunt recipere; neque immateriales, quas ipsi non possunt producere. Superflua verò, si adsunt obiecta, cum per se possint accedere concurrere. Difficultas verò præcipua, quæ in contrarium ex Angelorum institutione sumi potest, dissolvitur inferius dicitur, sequenti lect. 7.

Observandum est secundò, licet species ab initio infusæ Angelis, ex communi sententia, sint tales, ut res simpliciter representent sine circumstantia futuritionis, si de rebus futuris sunt: posse tamen Deum infundere species alterius generis, quæ sint representativæ futurorum ut talium: quemadmodum species ex actibus relicta non valent tantum ad rem præteritam cognoscendam secundum se simpliciter: sed etiam ut præteritam, & ut antea visam. Quæ duo genera specierum tantum differunt inter se, quantum cognitiones ipsæ, seu species expressæ, rerum secundum se simpliciter, abstractendo à futuro vel à præterito; & earundem rerum, ut futurarum, vel præteritarum. Tales fortè species Prophetis imprimuntur, quando res futuras, aut præteritas naturaliter in cognitæ, reuelant.

Quod autem vulgò dicitur, experientiam non posse infundi: intelligendum est de experientia formaliter, quatenus sit per frequenter & iteratas cognitiones, quæ sine nobis cooperantibus exerceri nequiverunt. At tamen potest Deus infundere species, experimentalibus æquivalentes quoad certitudinem & evidentiam præteritorum, ut talium. Ita ut per illas non minus certò & evidenter sciamus rem fuisse, quam si hoc ipsum per intuitionem experti fuissetus.

MARTIN  
NEUS  
LIB. I. DE ANG.  
D. VI.

75. Specie  
supplet  
vicem ob-  
iecti quo-  
ad moti-  
nem & ex-  
citacionem  
potentia  
cognoscen-  
tiam.

Obiectum  
per se no-  
nue & de-  
terminat  
ad intui-  
tionem.

77. Postquam  
impressio  
speciei vel  
rumi futu-  
rarum ut  
talium: quæ  
certitudinem  
preteritorum  
revelant.